Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0001-6

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

aſ

Gb. 42.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0002-2

NICOLAI REVSNERI LEORINI
IC. Comitis Palat. Cæſ.

# SYMBOLORVM IMPERATORIORVM

## Claſſis Prima.

*QVA SYMBOLA CONTINENTVR IMPP. AC CÆSARVM ROMANORVM ITAlicorum, à C. Iulio Cæſare, vſque ad Conſtantinum Magnum.*

OPVS PHILOLOGICVM ET POLITIcum, vereque Regium ac Imperatorium: omnibus omnium ordinum, & cumprimis ciuilis ſapientiæ ſtudioſis lectu futurum vtile; ac iucundum.

*Quinta editio ab innumeris, quibus Londina illa ſcatebat, mendis repurgata.*




FRANCOFVRTI,
Typis ERASMI KEMPFFERI,
Sumptibus IOANNIS AMMONII.
ANNO M.DC. XXIV.

ah.

KŒN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0004-3

# AD SERENISSIMVM POTENTISSIMVMQVE PRINCIPEM, D. MAXIMILIANVM, DIVI MAXIMILIANI Cæſaris F. Magnum Auſtriæ Ducem, Magiſtrum Ordinis Teutonici ſupremum, Regem Poloniæ deſignatum, &c.

## NICOLAI REVSNERI IC. *Præfatio.*

*MOS fuit & conſuetudo vetus Gentium quarundam, Sereniſſime Princeps Maximiliane, Rex potentiſſime: ne cui ad Regē aut Principem ſine munere pateret aditus. Quæ ſane conſuetudo apud Perſas ſancte religioſeq́ꝫ culta, atq́ꝫ obſeruata fuit longo tempore: apud quos lege etiam cautū fuiſſe reperio: ne quis Regem peregre aduentantem, aut in Regno obambulantē ullo modo indonatū aut inhonoratū prætermitteret. Quod notū eſt exēplo Artaxerxis illius Magni, qui Mnemon cognominatus eſt: cui Sineta quidam ruſticus forte fortuna in agro ſibi obuiam facto, cum is alterius offerendi muneris facultatem non haberet, aquam è Cyro amne hauſtam manibus obtulit: quam Rex non modo libenter & humaniter acceptauit; verum etiam ſtola Perſica, & phiala aurea, & mille Daricis, large omnino & regaliter compenſauit: vt auctor eſt Aelianus in ſua hiſtoria. Ac munerum quidem non eſt vna & eadem ratio ac con-*

*ditio: quorum multa ſæpenumero ad voluptatem aut luxum vel pompam comparata; pleraque vero ex his ſuperuacanea ſunt aut plane potius inſidioſa, vt plus ea fere obſint, quam proſint; aut ſaltem magno conſtēt Regibus ac Principibus, quibus ea donata ſunt: vt vere ſint (quod Aliax apud Sophoclē dixit) δῶρα ἄδωρα. Sed alia præter hæc ſunt adhuc quædam munera rara & ſalutaria, quæ ad animi culturam & virtutis ſtudium pertinent: quarum rerum tanta eſt æſtimatio, vt, ſi Critolai libra examines, omnem vim auri atque argenti, & quoduis aliorum munerum precium multo præponderent. Talia nimirū munera ſummus ille & præſtantiſsimus Orator Iſocrates ad Nicoclem Cypri Regem de regno adminiſtrando ſcribens, non ſolùm verbis, ſed exemplo etiam ſuo, monet donare Regibus ac Regum liberis: quæ omnium ſit dulciſſimum accipere. Quorſum enim obſecro opus eſt ſummis Regibus ac Principibus, vel gemmas, vel aurum, vel vaſa pretioſa, & id genus alia donari: quibus & ipſi egēt, qui dono dant: & qui dono accipiunt, alias domi abundant? An non quæſo hoc qui factitant, mercaturam potiùs facere, quàm largitionem exercere videri poterunt: atque hoc pacto multo & aſtutius, & carius res ſuas vendere, quàm alij, qui ex profeſſo cauponari ſolent? At vero, qui optima & ſaluberrima vitæ præcepta, muneris loco offerunt, præſertim Regibus ac Principibus, quorum lectione erudiantur, aut ſaltem commodiùs informentur: quibus officiis præſtandis, quibuſve rebus fugiendis, bene recteq; non ſolum viuere,*

*ſed*

*ſed etiam imperare poſſint, eorum profecto munera, ut pulcherrima & utiliſſima, ita longe digniſsima, & aptiſsima eſſe iudico, tam his qui dono dant, quàm his qui accipiunt: quippe quibus utriſq; ea & doctrinam ſalutarem, & immortalem gloriam ex æquo fere tribuunt. Qua ratione etiam D. Auguſtinus monet, eiuſcemodi danda eſſe munera, quæ nec ei qui dat, nec alteri qui accipit, noceant, quæq; utriuſque ſimul & dignitati, & officio reſpondeant. Quamobrem, Princeps sereniſsime & Rex potentiſsime, quoniam intelligo, te non ita pridem, Deo Opt. Max. auctore, cum ob pietatem tuam & animi moderationem eximiam, tum ob præclaros tuos ad virtutem impetus, & ſtudia erga Rempub. præclara, honoris gradu ampliſsimo collocatum, ac ſuperiore quidem anno ſummum Teutonici Ordinis conſtitutum Magiſtrum, quæ poteſtas Septemuirali par cenſetur poteſtati in Imperio Germanico; nunc vero etiam Regem Poloniæ renunciatū (quod factum numine ſuo Deum approbare perpetuoque fortunare volo) ea dignitate auctum eſſe, quæ & auctoritate ſumma, & potentia maxima, & præterea genere tuo inclyto, & ingenio illuſtri & animo excelſo, & optimis denique tuis cogitationibus ac ſtudiis merito habetur digniſsima: in cuius veluti campo ampliſsimo excurrat virtus tua, à tot maioribus tuis clariſsimis quaſi per manus tradita; & multis magniſque induſtriæ & magnanimitatis documentis egregie comprobata hactenus, & bene agendi conſuetudine iampridem confirmata, ut nihil ea magnopere ſibi exiſtimet*

petenda, niſi excelſa, ampla, illuſtria, plena dignitatis atq; gloriæ: ea de cauſa equidem minime committendum mihi putaui: vt Reip. capeſſendæ animo te in ſedē ac domicilium imperij tui nuper ingreſſum, ſine aliquo munere indonatū vel indotatū prætermitterē: memor conſuetudinis illius honeſtæ & laudabilis: cuius paulo ante facta eſt mentio, ſperans omnino futurum, vt pari comitate fortaſsis ac beneuolentia illud accepturus eſſes, quo magnus ille Perſarum Rex Artaxerxes Sinetæ ruſtici ſui munus leuidenſe accepit, & benigne liberaliterq; compenſauit: non tam ex munere animū, quam ex animo munus æſtimando. Fructus ſiquidem beneficij verus eſt animi ipſius beneuolentia, teſte Bernardo; neque in eo quæritur ſolum (vt Ambroſius loquitur) quantum, ſed de quanto, & quanto animo detur. Nam & ſecundum Plinium, diis ſupplicari lacte à ruſticis, & qui thura non habent, mola ſaltem litare ſalſa fas eſt. Χαρίτων δέ τι θυμὸς ἄριστος, vt in Græcorum eſt prouerbio. Cæterum munus hoc, quod mitto, totum eſt Symbolicum, & quidem Politicum, vel plane potius (ſi eorum, quibus de agitur, auctoritas ſpectetur) Regium ac Imperatorium: in quo ſane plurima ſunt vitæ ſalutaria præcepta, de officiis & virtutibus & de omni ratione vitæ bene laudabiliterque inſtituendæ, & totius Reip. adminiſtrandæ: quorum lectione credibile eſt eum, qui Reip. præeſt, & in pacis belliq; negotiis verſatur, ſi nō iuuari, at certe delectari plurimum, atq; recreari. Quod equidem munus vt eximiæ tuæ bonitati ac virtuti aptum, neq; maieſtate eius fortaſ-

ſis

ſis indignum: ita ſingulari ac pene diuinæ benignitati ac liberalitati, quam gens & familia mea, magno cum fructu & honore ſuo, experta eſt ſæpius à ſummis quibuſdam & maximis Principibus, & Regibus Cæſaribuſque Auſtriacis, optimo iure debitum libentiſſime fateor, & palam profiteor: eamque ob cauſam Sereniſſimæ Clementiæ tuæ, ſi non meo, at tot clariſſimorum Principum, & Cæſarum nomine, quorum Symbola in eo leguntur, longe gratiſſimum acceptiſsimumque futurum cõſido. Cui à Deo immortali ſalutem opto diuturnam, & felicitatem perpetuam. Calendis Octobribus, Anno Christiano M. D. XIIIC.

## IN SYMBOLORVM LIBROS NICOLAI REVSNERI LEORINI IC.

## AD SERENISSIMOS AVSTRIÆ ARCHIDVCES.

*ABſtruſæ Sapientiæ reperta,*
*Mineruæque reconditæ latebras*
*Indagare, meo perinde cura eſt*
*REVSNERO, quaſi qui metalla ab imis*
*Terris effodiunt, opumque venas*
*Rimari tacitis amant in vmbris.*
*Hi noctesque dieſque eo laborant,*
*Diam Plutus vt erutus ſub auram*
*Vitæ præſidio ſit inſtruendæ:*
*Ille eſt totus in hocce, ne (quod vſu*
*Euenit) Sophiæque Palladiſque*
*Diuinæ iaceat ſepulta gaza,*
*Præſtantumque celebritas virorum;*
*Sed luci data & hæc, & illa, doctas*
*Vſque informet, alatque docta mentes.*
*Credite ô mihi, credite hoc, Dynaſtæ:*
*Quanto mens potior cuique habenda eſt*
*Ipſo corpore, corporiſque vita;*
*Tanto iſthæc Leorina Symbolorum*
*Gaza eſt clarior omnibus metallis,*
*Aut ſi quid melius venit metallis.*

Auguſtæ Vindelicorum, in Comitiis,
Anno cIↃ IↃ XIIXC.

*Paulus Meliſſus Francus, Comes*
*Palat. & Equ. Ciuis Romanus.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0010-6

## IN EIVSDEM SYMBOLA.

Ὥσπερ κοσμέεται φυτοῖσι κῆπος
Παντοίοισι, νόσων ἀλεξίκοισι,
Εὐόδμοισί τε, ποικιλοχρόοις τε,
Τερπόντεσσι φρένας τ' αὐθέεσσιν,
Ἰητροῖς φυτηκόμοιο τέχναις,
Τιμὴν ἐν πολέεσσιν οἱ φερούσαις:
Οὕτω Νικόλεως, λεὼν σὺν ἰκῶν,
Ῥευσνῆρ', ἀγλαόκαρπον ἔνθ' ἀλωὴν
Ἡρώων μεγάλην σοφαῖς φυτεύσας
Γνώμαις, οὔατα καὶ νόον τρεφούσαις,
Βίβλον δαιδαλέῃσιν ἀγχινοίαις,
Σαυτῷ νόσφι πέρας κλέος φέρουσιν.

Tubingæ, Anno M. D. XIIXC.

*Martinus Cruſius.*

## AD NICOLAVM REVSNERVM IC. V. CL.

QVid facit, elogium tibi qui REVSNERE, tuiſve
Dat ſcriptis, laudes perſequiturque tuas?
Auratam pingit ſtatuam ille coloribus, auro
Quales nec precio ſunt, nec honore pares.
Tu tibi tot ſcriptis ſtatuam REVSNERE paraſti
Auratam: hæc proprio clara decore nitet.

*Viennæ Auſtriæ, Anno M. D. XIVC.*
*Calend. Octobr.*

Henr. Porſius, I.V. D. & P.L.

*IN OPVS SYMBOLICVM, CL. V. D. N. REVSneri, Bern. Prætorij I. Catti Schediaſma.*

SIcut Apis volitans per Hymetti florea tempe
Mellifico ſuccos conuehit ore nouos,
Ex quibus humanum longe ſuperante cerebrum
Dædala Nectareos conſtruit arte fauos:
Sic quoque REVSNERVS, longæuo ductus ab vſu,
Colligit è cunctis optima quæque libris:
Colligit, & cupide depaſcitur aurea dicta,
Aurea, perpetuos viuere digna dies.
Commendent alij Cinyræue Midæue talenta,
Quicquid & aurifero gignit in amne Tagus;
Hæc mihi præ Libycis arrident Symbola gemmis;
Hæc Arabum Gazis ſunt potiora mihi.

*Helenopoli ad Mœni fluenta, pridie Nonas Februas, Anno* cIↃ.IↃ.XIIC.

IM-

# IMPERATORVM, AC CÆSARVM ROMANORVM ITALICORVM

## Symbola Heroica.

### SYMBOLVM I. C. IVLII CÆSARIS.

SEMEL

QVAM

SEMPER.

[Golz *Satius eſt mori, quàm aſſidua ſpe & expectatione vitam perdere.*]

*Præſtat inſidias* SEMEL *ſubire;*
QVAM *ſic inſidias cauere* SEMPER.

MVLTI *iniqui, atque infideles regno, pauci boni:* inquit Accius apud Cic. in Offic. Et Sen. in Thebaid.

*Simul iſta mundi conditor poſuit* DEVS,
*Odium, atque regnum.*

Quod ſi quiſquam alius in imperio, profecto C. Iulius Cæſar verum expertus eſt, qui oppreſſa armis Republica, perpetuus Dictator factus, multorum in ſe concitauit odia: quibus nullas opes poſſe vnquam obſiſtere, ſuopte interitu tandem comprobauit. Is amico cuipiam inſidias vndique imminentes ſibi denuntianti, Atqui *ſatius eſt*, inquit, *inſidias ſubire* SEMEL QVAM *cauere* SEMPER. Significans nimirum, eum non viuere, qui in perpetuo viuat mortis metu. Mortem enim metuere, non ſemel eſt, ſed ſæpe mori. Mori vero optimum eſt tunc, cum viuere iucundiſſimum eſt. Nam & ſecundum Æſchylum:

κρεῖσσον

Κρεῖσσον εἰσάπαξ θανεῖν,
ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.

Hoc eſt:

*Præſtat ſemel mori,*
*Quàm ſingulis diebus ſic malè pati.*

Sic & Seneca:

*Semel incidi, quàm ſemper premi ſatius eſt.*

Et alio in loco.

*Optimum eſt, ante, quàm optes, mori:*
*Optimum eſt mori, cum iuuat viuere.*

Sed & idem Sen. in Epiſt. 22. ad Lucil. *Nemo*, inquit, *tàm timidus eſt, vt malit ſemper pendere, quam ſemel cadere.* Et in lib. de Benef. *Miſericordiæ genus eſt, cito occidere: quia tormentum vltimum finem ſecum adfert: acerbiſſima vero crudelitas eſt, quæ pœnā trahit.* Sic & Caſſiod. in Epiſt. 46. variar. *Grauius eſt*, ait, *aliquem ſpem mortis expectare, quam tormentorum crudelia ſuſtinere. Inter ſupremas anhelatus anguſtias potius eſt perire quam viuere: & deteſtabilis ſenſus pœnarum excludit dulciſſimæ ſalutis effectum. Quin &*, teſte Iulio Celſo lib. 7. *facilius reperiuntur, qui ſe vltro morti offerant, quam qui dolorem patienter ferant.* Ex quo eſt etiā Publij Mimi illud:

*Dum vita grata eſt, morti conditio optima eſt.*

Et alterum hoc eiuſdem:

*Quotidie damnatur, qui ſemper timet.*

Quam ob cauſam Cæſar quoque vitam non modo neglexit: ſed & ſubitam ſibi celeremque mortem ſæpiſſime optauit. non tam ſua, quā Reipublicæ intereſſe aperte profeſſus, vti ſaluus eſſet: & ſe iam pridem potentiæ gloriæque abunde adeptum. Qualem ei mortem pene ex ſententia obtigiſſe conſtat, quam animo eum præuidiſſe veriſimile eſt: cum pridie, quam occideretur, in ſermone nato ſuper cœnam apud M. Lepidum, quiſnam eſſet finis vitæ commodiſſimus, repentinum, inopinatumq; prætulerat: vt auctor eſt C. Suetonius Tranquillus. Cæterum M. Tull. Cic. in Off. ſcribit: *Caium Iulium Cæſarem, imperij conſuetudine captum, quod ætate prima concupiſſet, ſemper in ore habuiſſe Euripidis verſus in Phœniſſis*, quos ſic ipſe conuertit:

*Quod ſi violandum eſt ius, regnandi gratia*
*Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.*

SYM-

## SYMBOLVM II. D. OCTAVII CÆSARIS AVGVSTI.

### *FESTINA LENTE.*

[Golz. *Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo.*]

*Nec nil, nec nimium: medium tenuere beati:*
FESTINA LENTE; *ſat cito, ſi bene ſat.*

C. Iulium Cæſarem dixiſſe ferunt, magna negotia gerenda, non conſultanda eſſe, exemplo Alexandri illius Magni, qui Neſtorianum ſecutus conſilium apud Homerum, cuidam percunctanti, quo modo tot & tantas res tam breui temporis ſpacio confecerit: reſpondit, μηδὲν ἀναβαλλόμενος Ex quo idem Cæſar Pontico triumpho, inter pompæ fercula, trium verborum prætulit titulum: VENI, VIDI, VICI, non acta belli ſignificantem, ſicut cæteri, ſed celeriter confecti notam. Sed diuerſum ab eo quodammodo ſenſiſſe videtur Auguſtus Cæſar: qui nihil minus in perfecto Duce conuenire dixit; quã feſtinationem & temeritatem Itaque dicere eum in ſermonibus, & ſcribere in Epiſtolis ſolitum ferunt [*Eurip in Phœniſſis*] ΣΠΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ: ἀσφαλὴς γάρ ἐστιν ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης. FESTINA LENTE: *Tutus enim eſt melior, quam temerarius Imperator.* Nam, & teſte Liuio, *nihil magni diſcriminis conſiliis tam inimicum eſt, quàm celeritas*; *&*, vt idem alibi ſcribit, *omnia non properanti clara certaque ſunt: feſtinatio improuida eſt & cæca.* Quod idem Symbolum etiam Tito Cæſari placuiſſe, ex antiquiſſimo eius nummo apparet, in quo emblema eſt anchora cum Delphino: quo ipſe quoque Auguſtus Cæſar vſus fuit Quanquam hoc ipſum alias per *telum & remoram* ſignificatur, vno autem verbo recte exprimitur: MATVRA. *Maturum* enim (vt Nigidius docet apud Gell. libr. 10. cap. xi. appellatur id, *quod neque citius eſt, neque ſerius.* Nam *ad res gerendas ſimul adhiberi debet, & induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas,*

*ditas*, eodem auctore Gellio. Sic & Saluſtius in bello Catil. in hanc ſcribit ſententiam: *Priuſquam incipias, conſulito: & vbi conſulueris, mature facto opus eſt.* Quod Iſocrates in Paræneſi ad Demonicũ hoc modo dixit: Βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα. Idemque iiſdem propemodum verbis extulit Demoſthenes in Philip. prima: Δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ᾽ ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς: Et Ariſt. in Nicom. Πράττειν μὲν δεῖ ταχὺ τὰ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. Quemadmodum & Socrates monet apud Xenoph. Νόει, καὶ τότε πράττε. Et Seneca: *Diu delibera, fac cito.* Et Cornelius Tacitus: *Conſilium ante rem: Omnia inconſulti impetus contrà, initiis valida, ſpatio langueſcunt.* Scitũ eſt igitur nobile illud Catonis dictum apud D. Hieron. SAT CITO, SI SAT BENE: Quod & apud Sueton. tribuitur Auguſto Cæſari: qui *ſat celeriter fieri* dixit, *quicquid fiat ſatis bene.* Quo etiam pertinet Biantis illud apud Ariſtot. in Eth. qui iubet, βραδέως ἐγχειρεῖν τοῖς πραττομένοις: ὅσα δ᾽ ἂν ἕλῃ, βεβαίως τηροῦντα διαμένειν, i. *negotium ſuſcipere cunctanter, verum in ſuſcepto permanere conſtanter.* Nam vt Mimus habet: *Diu apparandum eſt bellum, vt vincas celerius.*

Quoniam, vt Cornelius Tacitus ait, *victoria conſiliis & ratione perficitur.* Et alibi: *Scelera*, inquit, *impetu, bona conſilia mora valeſcunt.* Cunctatione autem non eſt opus, vbi pernicioſior ſit quies, quàm temeritas: nulluſque adeo cunctationi locus eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum: Siquidem *tempus agendi conſultando non eſt conſumendum*: eodem Tacito auctore.

SYMBO-

## SYMBOLVM III.
# TIBERII CÆSARIS.

MELIVS
TONDERE,
QVAM
DEGLVBERE.

[Golz. *Me mortuo terra igni miſceatur.*]

*Paſtor* OVES TONDET BONVS, HAVD DEGLVBIT: *idemque*
*Paſtor agit populi, duxque, paterque bonus.*

TIberium Cæſarem, auctor eſt Sueton. præſidibus, onerandas tributo prouincias ſuadentibus, & inter alios Æmilio Recto, *Ægypti* Prætori, grauiora ſubditis vectigalia imperanti, ita reſcripſiſſe: BONI PASTORIS EST, TONDERE PECVS, NON DEGLVBERE. Quod his verbis expreſſit Dion li. 57. κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι. Feſtiue illud, & omninò vere. Nam quoniam *Reipublicæ anima* (vt Seneca vult) *eſt Princeps: Principis vero corpus, Reſpublica:* non minus is profecto eam fouere ac ſuum corpus, debet. Quod ita demum recte perficiet: ſi operam dabit ſedulo, ac diligenter: vt Reſpublica opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta, omni denique rerum copia ſit felix ac beata. Cumque Princeps ſecundum Homer. ſit ποιμὴν λαῶν, hoc eſt, *paſtor & cuſtos populorum*: non minus profecto eos curare debet, quam oues ſuas opilio, *quarum is cuſtodiæ, paſtui, ornatui intendere ſolet*, vt Bernardus loquitur. Siquidem, vt Cyrus ille Xenophonteus ait lib 8 παιδ. *boni paſtoris, & regis boni opera ſunt conſimilia: quorum ille felicitatem pecoribus conciliando, ita vtitur his, quæ beata eſt ouiũ vita: hic vero pariter ciuitates homineſque efficiens beatos, ſic deinde eis vti fruiq; debet.* Qua de re pulchre admodum Socrates diſputat apud Plat. lib. de Rep. 1. & Ariſt. lib. Nicom. 7. Simile eſt apophthegma illud Alexandri Magni: qui in eadem cauſa præſidibus ſuis reſpondiſſe fertur: κηπωρὸν μισῶ τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα

λάχανα. *Odi olitorem radicitus olera exſcindentem.* Cui reſpondet Nazianzeni illud:

> Ποιμὴν ἀμέλγει, εἰ θέλει, καὶ τοὺς τράγους:
> Ἀλλ' αὐτὶ γάλακτος, αἱ αἱμάτων πηγὰς ὕσῃ.
> *Mulgere & hircos, ſi velit, paſtor poteſt:*
> *Sed ſanguinis pro lacte ſalientes fluent.*

Sic Pomponius Lætus: *Qui totum*, inquit, *lac ex vberibus ouium emulſerit, agnos fraudans cibo, prædo eſt, non paſtor.* Nec plane ab eo diſcrepat, quod Salomon in Prouerbiis citat ex Agure oraculum: *Qui lac premit, exprimit butyrum, qui naſum, ſanguinem, qui rixas, litem.* Sed & Phocylides, ſimili vſus allegoria, vetat, omnes vna pullos ex nido auferri: nulla aue matri relicta. Sic enim ait:

> μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω:
> μητέρα δ' ἐκπρολίποις ἵν' ἔχῃς πάλι τῆς δὲ νεοττούς.

*Neque laudandus eſt is princeps, qui pennas ſubditis ita incidit, vt nolit eaſdem renaſci:* vt in Epiſtolis ad Atticum ſcribit M. Cicero. Nimirum peſtis Reipublicæ eſt is princeps, cui ærarium, vt Plinius loquitur, *eſt ſpoliarium ciuium, cruentarumque prædarũ receptaculum:* Quique adeo, vt Comicus ait, *rem aufert cum puluiſculo.*

Plaut. in Bacchidib.

Porro memoratur eiuſdem Tiberij vox alia laude digna: qua amicis quibuſdam ad vlciſcendos calumniatores atq; obtrectatores ſe cohortantibus reſpondit: *In libera ciuitate, liberas eſſe linguas ac mentes oportere.* At vero deteſtanda eſt eiuſdem vox illa inhumana, & ſcelerata: qua negauit ſe recuſare, quo minus ſe mortuo terrarum omnium deflagratio conſequatur: vſus vulgari quodam verſu Græco, quem Cicero refert libr. 3. de Fin.

> ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί·
> *Me miſceatur igne terra mortuo.*

Quod Nero poſtea corrigens: *Imo*, inquit, ἐμοῦ γε ζῶντος, *me adhuc viuo.* Quam ob cauſam & Priamum is fortunatum dicere auſus eſt, cui vna cum patria, & regno perire contigerit. Quomodo & *C. Caligulam palam queri ſolitũ fuiſſe* refert Suetonius, *de cõditione ſuorum temporum, quod nullis ea calamitatib. publicis inſignirentur:* Auguſti principatum clade Variana, Tiberii ruina ſpectaculorum apud Fidenas memorabilem factum; ſui obliuionem imminere proſperitate rerum.

## SYMBOLVM IV.
# CAII CÆSARIS CALIGVLÆ.

ODERINT,
DVM
METVANT.

[Golz. *Nihil magis in natura mea probo, quam inuerecundiam.*]
DVM METVAT, *nihil ipſe moror, ſi me* ODERIT *orbis:*
*Sibilet vt populus, ſed mihi plaudo domi.*

TYrannica vox, Syllana, vt Seneca vult, tempeſtate nata, omninoque execrabilis, & quæ multos dedit præcipites, ſumpta ex Tragœdia: ODERINT, DVM METVANT Cuius Symboli aſperitatem mollire conatus Tiberius: ODERINT, inquit, DVM PROBENT. Sed male is profecto videtur odium cõiunxiſſe cum approbatione. Nam quod homines oderunt, haud libenter probant, nec, quod probant, oderunt. *Natura autem hoc inſitum eſt, vt quem timueris, hunc ſemper oderis*, vt eſt apud Cic. in orat. pro Sylla. Verumq; eſt Taciti illud, *metum & terrorem infirma eſſe caritatis vincula: quæ vbi remoueris, qui timere deſierint, odiſſe incipere: & repertis auctoribus animos tollere:* Verum ne quis miretur vocem illam deteſtabilem Caligulæ: eiuſdem vox hæc fuit altera, carnifice, quàm Imperatore, dignior: *optare ſe, vnam duntaxat ceruicem habere populum Romanum.* Cui poſtea à Chærea occiſo, non ſine cauſa inſultauit populus Romanus: *At tu*, inquit, *vnã ceruicem habes: nos vero manus multas.* Sic verum eſt, quod Q. Curt. ſcribit, *principem, quãtuſcunq; timidis & ignauis videri poſſit, vnum animal eſſe.* Sed & Antoniæ auiæ monenti, tanquam parum eſſet non obedire: *Memento* (ait Caligula) *in omnes omnia mihi licere* Congruit autem cum hoc Symbolo OEdipi illud apud Senec.

——— *Odia qui nimium timet,*
*Regnare neſcit, regna cuſtodit metus.*

Et Polynicis hoc apud eundem in Thebaide:

*Regnare non vult, eſſe qui inuiſus timet.*

Nam & *quamuis id agas, vt ne quis merito te oderit, erunt tamen*

*ſemper, qui oderint*, vt placet Senecæ de prouid. Quippe hæc è natura vulgi eſt, cui ſemper ineſt, vt Plutar. loquitur, τὶ κακόηθες καὶ φιλαίτιον πρὸς τοὺς πολιτευομένους, id eſt, *malignum quiddam & querulum in imperantes.* Quanquam igitur metus aliquo modo coercet ſubditos: &, ſecundum Tacit. *ſatis clarus eſt apud timentem, quiſquis timetur: plus tamen poteſt amor & beneuolentia*: &, vt Sen. ait,

*Ferrum tuetur principem, melius fides.*

Sic *vtraque eſt optima & moderata libertas, & moderata ſeruitus*, teſte Platone in Epiſt. 8. Quod & Seneca teſtatur Epiſt. 9. *Seruitus*, inquit, *ac libertas, ſi modum obſeruent, vtraque bona ſunt: ſin modum excedant, vtraque mala. Malus ſiquidem cuſtos & magiſter diuturnitatis eſt metus: contraque beneuolentia fidelis eſt, vel ad perpetuitatem.* Præclare enim Ennius:

*----Quem metuunt oderunt:*
*Quem quisque odit, periſſe expetit:*

Quippe *qui*, vt Seneca ait, *tam multis periculis petitur, quam multis ipſe periculum eſt: nec illapſas manus, quibus ſe commiſit, ſecurus aſpicit.* Etenim, vt Cic ait, *qui ſe metui volent à quib. metuuntur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt*: *Nullaque adeo vis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna*, eod. auctore Tul. l. 2. Offic. Quanto igitur ſatius eſt, id amplecti principem, quod non ad incolumitatem ſolum, ſed etiam ad opes & potentiam valet plurimum: vt metus abſit, charitas retineatur: quo ipſo facillime, quæ volet, & priuatis in rebus, & in Republ conſequetur. Quandoquidem, teſte Cic *rerum omnium nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi: nec alienius, quam timeri.* Nimirum *æquitate, quam ſanguine, cauſa, quam armis, retinere parta maiorib. mauult princeps ſapiens*, ait Cor Tacit. li. 15 Anna. Cæterum Symbolum hoc à Dione his verbis effertur: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἑκὼν ἄρχεται· ἀλλ' ἐφ' ὅσον μὲν φοβεῖται, θεραπεύει τὸ ἰσχυρότερον· ὅταν καὶ δὴ θαρσήσῃ τιμωρεῖται τὸ ἀσθενέστερον, id eſt, *Nemo hominum ſponte ſubeſt principi: ſed metu adigitur, vt eum colat: fiducia vero auctus, infirmiorem vlciſcitur.* Sic Saluſt. de Rep. ordinanda ad Cæſarem: *Nemo*, inquit, *alteri concedit imperium volens: & quamuis nouus atque clemens ſit, qui plus poteſt: tamen, quia malo eſſe licet, reformidatur.* Cæterum aliud Caligulæ verbum familiare Suetonius memorat: qui dixit, *nihil magis in natura ſua laudare ſe ac probare, quam* (vt ipſius verbo vtar) ἀδιατρεψίαν, id eſt, *inuerecundiam.* De quo notetur hoc diſtichon noſtrum:

*Quod inuerecundum, hoc natura eſt optimum:*
*Vox inuerecunda ſit digna Cæſare.*

SYM-

# SYMBOLVM V.
# CLAVDII CÆSARIS.

GENERIS
VIRTVS
NOBILITAS.

[Golz. *Non eodem modo à pulice & fera bellua ca-
ueri oportet.*]

*Fortes creantur fortibus ac bonis:*
GENTISQVE VIRTVS, NOBILITAS *viget*
*In Poſteris, ignobilis mox;*
*Quando perit ſimulata virtus.*

F*Ortes creantur fortibus & bonis*, inquit Horatius. Quod exemplo notum eſt beſtiarum: quandoquidem, vt idem Poeta canit:

*Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum*
*Virtus: nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilæ columbam.*

Permultum itaque refert, quo quis genere, quibus maioribus, quibus parentib. prognatus ſit; non ſolum ad virtutem, ſed & dignitatem comparandam. *Neque* enim *ſolum*, vt Plato ſcribit, *optimus magnificentiſſimusq; liberorum theſaurus eſt, parentũ virtus atq; gloria: ſed ineſt quoque in ea vis quædam admirabilis, & occulta propagandæ virtutis, & in ſtirpẽ quaſi deriuandæ.* Quãdoquidem veriſimile eſt, meliora ex nobiliũ ſatu, quam vulgariũ hominum, oriri ingenia: quo ipſo non dubium eſt excelſitatem quandam & generoſitatem eorum animis ingenerari: & morum quandam ſimilitudinem maieſtatemque heroicam, vna cum ſemine propagari. Nam & ex bono ſemine bonos enaſci fructus, & generoſioris arboris ſtatim cum fructu plantam eſſe compertum eſt: vt profecto mirum eſſe non debeat, ſi ex nobili, illuſtrique familia, nobiles ac virtute illuſtres homines procreentur, qui mature ad frugem perueniant. Quod exemplo Telemachi confirmat Plutarchus: cui Vlyſſis patris *virtus vna cum ſemine*, vt Homerus loquitur, quaſi inſtillata

fuerit: nõ aliter ac ſi paternæ virtutis bona ad paucas ſanguinis guttas vna confluxerint. Qua de re pulchre diſputat Ariſtoteles in hiſtoria animalium: τὸ μὲν εὐγενὲς, inquit, ἐστὶ τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους: γενναῖον δὲ, τὸ μὴ ἐξιστάμενον τῆς αὐτοῦ φύσεως. *Nobile id eſt, quod ex bono genere profectum eſt: generoſum, quod à ſua natura non degenerat.* Et alibi: GENERIS VIRTVS eſt NOBILITAS; virtus ipſa, res laude digna. Genus item, in quo multi virtutis ſtudio excellunt, laudabile: quod quidem fit tale, ſi principiũ eius ſit laudabile: cuius ea vis eſt & natura, vt multa ſui efficiat ſimilia. Quo fit, vt ſi gens quæpiam aut familia vnum aliquem habeat adeo bonum & præſtantem virum natura, à quo virtus tanquam in multas ætates propagetur: omni profecto laude & commendatione ea digniſſima habeatur. Sic Claudius Imperator non tam virtutis oſtendendæ ſuæ, quam ſtoliditatis cauſa cõtegẽdæ, nobiles virtute præditos eſſe dixit: οἱ ἀφανεῖς, inquit, τὸ γένος προσεποιήσαντο μὲν ἂν ἴσως καλοκἀγαθίαν, τὸ δ᾽ ἀγενὲς αὐτῶν σύμφυτοί τινές εἰσιν ὅτε φαυλότητες ἐξελέγχουσιν. Οἷς δὲ προγενικὰ τῆς ἀρετῆς σπέρματα ἄνωθεν ἐγγεγόνηται: τούτους οὐχ᾽ οἷόν τε ἀκέραιον τὴν ἀρετὴν, οὐ μὴ διαφυλάττειν ἐς ἀεί: *Qui genere ignobiles ſunt, poſſunt quidem aliquantiſper virtutem ſimulare: ſed innata plerunq; vitia tandem generis obſcuritatem redarguunt: Quod ſi virtus à maioribus ingenerata ſit, fieri nõ poteſt, quin ea perpetuo ab his ſincera atque inuiolata conſeruetur.* Atque hæc quidem, quæ dixi, vera ſunt, quando cum virtute cõiuncta eſt nobilitas, & maiorum gloria: quæ poſteris quaſi lumen eſt quoddam, quod eorum bona in occulto latere non patitur. Tunc enim ſecundũ Euripidem, τὸ εὐγενὲς ἐκφέρεται πρὸς αἰδῶ. id eſt, *bene natum pudere ſolet, ſi quid honeſtati contrarium facere cogatur.* Et, vt idem in Hecuba ſcribit.

Δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι: κἀπὶ μεῖζον ἔρχεται
Τῆς εὐγενείας, τοὔνομα τοῖσιν ἀξίοις:
*Præclara ſemper eſt & inſignis nota,*
*Naſci bonis, maiuſque fit gentis decus,*
*Qui hoc nomine ſe virtute dignum præſtitit.*

Etenim, vt Caſſiod. in Epiſtolis ſcribit, *In qua domo non tantum patrimoniis, ſed & virtutib. aditur hæreditas, hoc eſt profecto, quod vere diuites facit: Quando nullum melius poteſt eſſe compendium, quam laudibus ſucceſſiſſe maiorum.* Sed profecto, ſi vere iudicare volumus, ad verum decus non tam ſplendor generis, & maiorum gloria, quam virtus & ſapientia propria conducit: cũ

heroum

heroum filij ſæpenumero perditi, & maioribus ſuis indigni ſint: cumq; virtus, quæ vera nobilitas eſt, non ſit hæreditaria. Recte itaq; Solon apud Auſonium:

*Pulchrius multo parari, quam creari, nobilem.*

Et Marius apud Salluſt. in bello Iugur. *Peperiſſe nobilitatem nouam melius eſt, quam acceptam corrupiſſe.* Sic & Euripides in Ægeo apud Stobæum ait, *Virtutem nobilitate præſtantiorem eſſe:*

Ἦπου κρεῖσσον τῆς εὐγενείας τὸ καλῶς πράσσειν.

Nam quoniam nobilitas nihil aliud eſt, quam cognita virtus: quis in eo, quem veteraſcentem videt ad gloriam, generis antiquitatem deſideret? Siquidem vt maiores noſtri fortaſſis diuitias, & imagines, & memoriam ſui præclaram relinquere poſſunt, virtutem profecto relinquere non poſſunt: quæ ſola neq; datur dono, neque accipitur: ac proinde cum natura vna ſit, & communis omnium, fortiſſimum quemque generoſiſſimum eſſe neceſſe eſt:

Τὸ γὰρ πάλαι, καὶ πρῶτον ὅτ' ἐγινόμεθα,
Διὰ δ' ἔκρινεν ἁ τεκοῦσα γᾶ βροτοὺς,
ὁμοίαν χθὼν ἅπασιν ἐξεπαίδευσεν ὄψιν:
ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν: μία δὲ γονά
τό τ' εὐγενὲς, καὶ τὸ δυσγενές:
τὸ φρόνιμον, εὐγένεια καὶ τὸ συνετὸν
ὁ θεὸς δίδωσιν, οὐχ ὁ πλοῦτος.

Vt pulchre ſcribit Euripides in Alexandra. Quem locum Seneca hoc modo expreſſiſſe videtur: *Eadem,* inquit, *omnib. principia, eademque origo: nemo altero nobilior: niſi cui rectius ingeniũ, & artibus bonis aptius.* Et alibi: *Æquat omnes cinis: pares naſcimur: pares morimur; ad omnia patienda pares ſumus.* Nobilior eſt, qui virtute præſtantior eſt. Quem profecto ſi alij *veteris*, vt Saluſtius loquitur, *proſapiæ, & multarum imaginum* homines deſpiciunt: ſemetipſos, & maiores ſuos deſpiciunt: quibus nõ minus, ac ipſis, ex virtute nobilitas aliquando cæpit: qua indignos ſe faciunt ij, qui de generis nobilitate gloriantur, & ſola opinione nituntur maiorum: ipſi nulla non modo virtute inſignes: ſed adeo corruptis deprauatiſq; moribus: vt ne cum tabernariis quidem & hominibus vulgo comparari queant: quippe quibus anima pro ſale, & quicquid laudabile atque præclarum eſt quodammodo exoſum eſſe ſoleat.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0023-8

## SYMBOLVM VI.
## SEX. DOMITII NERONIS.

*ARTEM*
*QVAEVIS TERRA*
*ALIT.*

[Golz. *Priamus mirum in modum beatus fuit, quod patriam ſimul cum regno perditam vidit, πονηροκερδῆσμαι.*]

ARTEM QVÆVIS TERRA *parens* ALIT, *& bona nutrix:*
*Sic ars fit ſortis portus, & ara mala.*

PErvulgatum eſt, & omnium ſermone celebratum adagium: *Artificij aureus fundus.* Cui cognatum eſt alterum iſtud: *Sua cuique ars pro viatico eſt.* Item & hoc: *Ars portus miſeriæ.* Quod ex Græco Senario ſumptum eſt:

λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη:
*Ars eſt hominibus portus infortunii.*

Cum quo congruit Amphidis ſententia apud Stobæum:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἀτυχίας ἀνθρωπίνης
παραμύθιον γλυκερώτερον ἐν βίῳ τέχνης.
*Solatium vitæ nullum arte dulcius;*
*Fortuna cum bonos affligit improba.*

Sic & Menander artem βακτηρίαν τοῦ βίου, id eſt, *baculum vitæ* nominat: *in quo vnum vitæ ſit collocatum præſidium*, vt eſt in eiuſdẽ Auletride. Vnde & Hipparchus *artem, vitæ poſſeſſionem optimã* appellat: Phocylides vero ἀμαλθαίας κέρας, id eſt, *cornucopiæ* vocat. Sic Nero Cæſar ab aſtrologis admonitus, fore aliquando, vt imperio exueretur: vocem hanc ſibi vſurpaſſe fertur; τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα τρέφει: ARTEM QVÆVIS TERRA ALIT. *Artem* nimirũ intelligens *citharistricam*: principi gratam, priuato neceſſariam: quam exercere eum non puduit: Quippe in qua tantum excelluit: vt cum hoſtibus ſe perſequentibus, de ſalute ſua deſperans, vim ſibi adferre cogitaret, in hæc verba erumperet: *Quantus artifex pereo!* Meminerat fortaſſis Nero, idẽ vſu eueniſſe olim Dionyſio tyranno: qui Syracuſis expul-

ſus,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0024-4

ſus, poſtea Corinthi pueros docuit: vt ſcribit Cicero lib. Tuſc. quæſt. 3. Qui exul iam interrogatus, quem fructum percepiſſet ex Philoſophia: reſpondit, *vt fortunæ viciſſitudinem æquo ferrem animo.* Nam, vt Stoicis placet, ὁ σοφὸς ἐν αὑτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν, id eſt, *ſapiens in ſeipſo circumfert bona ſua.* Quod Biantis illius, vel, vt aliis videtur, Stilponis exemplo notum eſt: cuius cum patriam Prienen cepiſſet hoſtis, cæteriq; ita fugerent, vt multa de ſuis rebus aſportarent: ipſe admonitus à quodam, vt idem ipſe faceret: *Ego vero,* inquit, *facio: nam omnia mea mecum porto.* Significans, non tam fortunæ, quam animi bona, quæ ſumma, & ſola hominis bona dicenda eſſe videntur. Quam in ſententiam Ariſtippus quoque naufragus, ab eruditis hominibus benigne ſuſceptus, comites nauigationis ciuibus ſuis nuntiare iuſſit: eas opes tradendas eſſe liberis, quæ neque latrocinio, neq; incendio perirent: ſed cum naufrago vna enatarent: eruditionem nimirum intelligens, & doctrinam. Sed & Iſocrates ad Demonicum ſcribens affirmat, bonis animi cætera quoque bona ad victum cultumque corporis neceſſaria, comparari poſſe: quæ quidem vſu non conſumantur, ſed maiora indies & meliora fiant. Sequendum igitur eſt elegans illud Philoſophi præceptum, qui τὴν τέχνην φιλοκαλεῖν, καὶ ἐφοδιάζειν, hoc eſt, *artem colere & quaſi viaticum ſecum ſumere oportere* monet: Quippe quæ vere eſt, vt Plato loquitur, ἐφόδιον παιδείας καὶ ἀρετῆς καὶ τῆς ἄλλης ἐξουσίας.

---

## *SYMBOLVM VII.*
## SERGII SVLPITII
## GALBÆ.

---

*MILES*
*LEGENDVS,*
*NON*
*EMENDVS*

---

[Golz. *Mos fuit deligere, non emere milites.*]
LECTVS, NON *placet* EMPTVS *ære* MILES.

Aliud.

*Miles, ſuadeo, diſce militare:*
*Non Getulicus eſt, ſed ipſe Galba.*

SErgij Sulpitij Galbæ, tot & tantorum bellorum ducis atq; Imperatoris fortiſſimi, tanta fuiſſe militaris diſciplinæ ſeueritas perhibetur: vt ſimul ac pedem ferret in caſtra, de eo protinus vulgaretur verſus ille Trochaicus:

*Diſce miles militare: Galba eſt, non Getulicus:*

Nam veteranum pariter, ac tyronem militem aſſiduo is opere exercuit atque corroborauit: memor eius, quod Vegetius ſcribit: *Qui victoriam cupit, militem imbuit diligenter Imperator.* Sed & idem Galba Cæſar MILITEM LEGENDVM, NON EMENDVM eſſe dixit. Sic enim Dion verba eius refert: δεῖ καταλέγειν στρατιώτας, οὐ καπηλεύειν. Sentiens nimirum, mercenariorum militum veram fortitudinem non eſſe: qui nihil niſi quæſtum & licentiam ſuam ſpectant: quo fit, vt cognito periculo, primi terga vertant, mortem peius turpitudine pertimeſcentes: vt Ariſtoteles docet lib. Nicomach. 3. cap. 8. Quod & Veget. præcipit lib. 3. *Vtilius*, inquit, *conſtat armis erudire ſuos, quam alienos mercede conducere.* Nam, vt Lucanus canit:

*Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur,*
*Venaleſque manus: ibi fas, vbi maxima merces.*

Quanquam enim ſecundum Iſocratem, ἀμήχανόν ἐστι στρατηγεῖν ἀμίσθων ὄντων: & ſecundum Flaccum, *auro repenſus miles redeat acrior:* (*Quis enim*, teſte Apoſtolo, *ſtipendiis ſuis militat? & quis ignorat ſtipendia iſtiuſmodi & pacis ornamenta, & ſubſidia belli, & neruos eſſe imperij*, ſecundum Tullium. Quippe *neq; quies gentium, ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neq; ſtipendia ſine tributis haberi queunt*, vt vere hoc dixit Corn. Tacitus 4. Hiſt) fit tamen plerunque, vt qui non tam amore pugnandi, quam ſpe lucri faciendi, ſequuntur militiam, nemini ſint fideles, omnibus iniurioſi: οἱ τὸν πόλεμον αὐτῶν ἴδιον νομίζοντες, καὶ ἁπάντων κοινοὶ ἐχθροί, vt Iſocrates loquitur: h. e. *qui ſuam meſſem in bellis metũt, & communes omnium ſunt hoſtes*, vt occaſione data, à nullo fere abſtineant decipiendo, fraudando, violando: ſi id è re ſua fore opinentur. Vere illi (vt Curtius vocat) *purgamenta* ſuarum vrbium: aſſueti latrociniis, bellorum inſolentes: quorum lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces, denique quæ honeſte nominari non poſſunt, inhoneſtiſſima ſunt: *quibus ob egeſtatem & flagitia*, ſecundum Tacitum, *maxima peccandi neceſſitudo eſt: & quib. nec in victoria decus eſt,*

nec

*nec in fuga flagitium.* Ex quo idem ſcribit Iſocrates à conducti-
tiis exercitib. plures eſſe proditos, quam defenſos: largitioni-
bus ſcil. corruptos à ducibus, qui vel ſe defendi, vel offendi a-
lios voluerunt. Quemadmodum olim Ageſilao Aſiam vaſtan-
te, pecunia à Perſarum rege corrupti ſocii Athenienſes, Bæo-
tii, Argiui, Corinthij, conſpiratione inita, oppugnarunt Lace-
dæmonios: vt Ageſilaū ad tuendam patriam reuocare coge-
rentur. Itaque diſcedens ille Aſia per iocum dixit: ſe triginta
ſagittariorum millibus Aſia expulſum eſſe: alludens ad ima-
ginem Perſici nomiſmatis, quæ fuit *ἱπποτοξότης*. Quod idem
in Hermæo, Coronæ, vrbis Bæotiæ, arce, contigiſſe loco ſupra
citato memorat Ariſtoteles: in quo cum Coronæi, & Bæotij
milites conductitij, aduerſus Onomarchum, Phocenſium du-
cem, qui arcem ſibi proditam occuparat, confligerent, omnes
ad vnum ciues fortiter pugnantes occubuerunt: Bæotii vero
ſocii, à principio pugnæ ſtatim amiſſo Charone duce, ſalutem
fuga quæſiuerunt: & Coronæos ignauia ſua prodiderunt. Ex
quo recte Philippus Macedo ad Alexandrum filium ſcribens:
*Ne*, inquit, *eos tibi fideles putes, quos pecunia corruperis. Fit enim
deterior, qui accepit, atque ad idem ſemper exſpectandum paratior*,
auctore Tullio lib. 2. Offic. Alia ratio eſt eorum militum, qui
aut pro defenſione iuſtitiæ & religionis, aut pro ſalute & li-
bertate patriæ arma capiunt: quique pro aris & focis pugnant.
in quibus non reperit locum auaritia illa & impietas, cum
perfidia eiuſmodi violentiaque coniuncta, quæ militum fere
mercenariorum propriæ & quaſi peculiares ſunt intemperiæ;
quos facete admodum & vere laniis comparat Eraſmus, quo-
rū hi pecudes, illi homines, ſpe quæſtus iugulant. Quales ſunt
ii, quos grauior criminum vel inopiæ luxuriæue vis vrget, qui-
bus idcirco opus eſſe bello ciuili dictitabat C. Iulius Cæſar.
quo publicum malum in ſuum verterent commodum. Scitum
eſt enim & vulgo notum, nihil eſſe vtilius aut opportunius,
quam *in aqua turbida piſcari*. Quod nimirum faciūt hi, qui
cum pacis artibus emergere ſe poſſe diffidunt, bellum ſibi pa-
cem, pacem bellum ſtatuunt, id eſt, *nō aliter ſaluos & incolumes
ſe eſſe poſſe exiſtimant, niſi in publicis calamitatibus*: vt de hoc ho-
minum genere veriſſime dixit Philippus Macedo. Pertinet
huc memorabilis illa ſententia Cæſaris de bello Gall. libr. 7.
*Non minus*, inquit, *in milite modeſtiam & continentiam, quam
virtutem atque animi magnitudinem deſidero.* Nec diſcrepat à
Symbolo vox illa Cornelii Taciti: *Sorte*, inquit, *& vrna mores*

*non*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0027-0

*non diſcernuntur: ſuffragia ſenatus vniuſcuiuſque vitam & famā penetrant.* Et Claudiani hoc:

*Perdurat non empta fides: nec pectora merces*
*Alligat.*

## SYMBOLVM IIX.

## M. SALVII OTHONIS.

VNVS
PRO
MVLTIS.

Golz.] *Multo melius iuſtiuſque eſt, vnum pro multis, quam pro vno multos, interire.*]

VNVS PRO MVLTIS, *quamuis pro ſontibus inſons,*
*Pro vno quam multi, iuſtius hercle perit.*

MEmorat Suetonius, M. Saluium Othonem tanta flagraſſe cupiditate regni: vt non diſſimularit, ſe, niſi principē, ſtare, aut viuere non poſſe, nihilque referre, ab hoſte in acie, an in foro ſub creditoribus caderet. Similis propemodum in C. Iulio Cæſare imperij fuit cupiditas, quem mane ad Comitia abeuntem idem ſcribit Suetonius matri ſuæ prædixiſſe: ſe, niſi Pontificem, domum non reuerſurum. Et Agrippina Chaldæis ſibi vaticinantibus, Neronem filium imperaturum quidem, ſed matrem occiſurum: *Occidat*, inquit, *modo imperet.* Adeo res miſera eſt ambitio, & appetitio principatus: vt *cœlum ruere, dummodo magiſtratū adipiſcantur, multi exoptent:* id quod Varro dixit apud Nonium. Quo fit, vt plerumque eos, non modo iuſtitiæ, ſed & ſalutis ſuæ capiat obliuio, qui in imperiorum aut bonorum cupiditatem inciderint. Vere illud Bernardus: *Ambitio ſubtile malum: ſecretum virus: peſtis occulta: doli artifex: mater hypocriſis: liuoris parens: vitiorum origo: criminum fomes: virtutum ærugo: tinea ſanctitatis: excæcatrix cordium: ex remediis morbos creans generans ex medicina languores.* Nec ſane deſunt exempla eorum, qui ſe ſcelere contaminarunt, ſola vrgente cupiditate imperii: qua nihil tetrius aut fœdius excogitari poteſt. Quamuis igitur imperio tandem Otho potitus eſt: tamen nō diu hoc retinuit, quod cum ſibi aut deponendū, aut

magna

magna ſtrage ciuium tuendum eſſe videret, ſponte ſtatuit mori. Itaque amicis militibuſq; hortantibus, ne tam cito de belli euentu deſperaret, negauit ſe imperium vitamque ſuam tanti facere: vt in periculum tales tamq; bene meritos coniicere, aut belli ciuilis occaſionem vllam præbere vellet, quod etiam priuatus vſq; adeo deteſtatus fuiſſet: vt memorante quodam inter epulas de Caſſii Brutiq; exitu, cohorruerit: nec concurſurum cum Galba fuiſſe, niſi confideret, ſine bello rem tranſigi poſſe. ἄμεινον γὰρ, inquit, καὶ δικαιότερον, τὸ ἕνα ὑπὲρ πολλῶν, ἢ πολλοὺς ὑπὲρ ἑνὸς ἀπόλλυσθαι: *Melius eſt & iuſtius*, VNVM PRO MVLTIS, QVAM PRO VNO MVLTOS, MORI. Præclara ſane vox, & magnifica Imperatoris, qui ſalutem ſuam poſteriorem ſalute communi duxerit. Sic imperium, quod magno ſcelere inuaſerat, maxima virtute depoſuit, vt Xiphilinus notat è Dione. De quo Epigramma hoc extat Martialis lib. 6.

*Cum dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo;*
*Forſitan & poſſet vincere mollis Otho:*
*Damnauit multo ſaturum iam ſanguine Martem:*
*Et fodit certa pectora nuda manu,*
*Sit Cato dum viuit, ſane vel Cæſare maior:*
*Dum moritur, nunquid maior Othone fuit?*

---

## SYMBOLVM IX.

## AVLII VITELLII.

---

*BONVS ODOR,*
*HOSTIS,*
*MELIOR CIVIS*
*OCCISI.*

---

[Golz. *Optime olet occiſus hoſtis, ſed melius ciuis.*]
*Scilicet* HOSTIS OLET BENE CÆSVS *ab hoſte: ſed erro,*
*An* MELIVS CIVIS *ſic mihi caſus olet?*

O Vocem diram & abominandam, vereque tragicam & tyrannicam! Scribit enim Suetonius, A. Vitellium Cæſarem, Othone mortuo, campos, in quibus pugnatum eſſet, præteruectum, abhorrentes quoſdam cadauerum tabem, deteſta-

deteſtabili voce confirmare auſum fuiſſe: OPTIME OLERE OCCISVM HOSTEM; ET MELIVS CIVEM. Græca verba apud Dionem hæc ſunt: ἄριστα μὲν ὄζει πεφονευμένος πολέμιος· ἄμεινον δὲ πολίτης. Sed & alias ciuium cæde oculos ſe paſcere, & animum exſaturare, nefarie admodum & inſolenter gloriatus eſt. Indigna profecto res Cæſare, & vox ſimilis earum, quas Seneca ſcribit ab iratis emitti ſolere: quæ magni videantur animi, verum ignorantibus magnitudinem, qualis illa dira & abominanda, *Oderint, dum metuant*. Quis autem euentus eſſe ſoleat impotentis illius dominatus: ſatis hoc mors eius fœda & turpis oſtendit: cum è latebra extractus à militibus: & religatis poſt terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veſte diſciſſa, ſeminudus in forum tractus: & inter magna rerum verborumque ludibria, tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus atque confectus eſt, & inde vnco tractus in Tyberim. Neque enim propterea tyranni ſecuri ſunt: etiamſi tyrannice agant, & cædes perpetuo morteſq; minentur: quos recte idcirco Antiſthenes in pietate præferebat carnificibus, quorum hi ſontes duntaxat, illi vero etiam inſontes ſine cauſa interimunt. *Rarum eſt*, vt Seneca ait, *idemque ſenex tyrannus*: &, vt Iuuenalis canit:

*Ad generum Cereris, ſine cæde & ſanguine pauci*
*Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.*

Quanto rectius Iſocrates conſulit Nicocli, regi Cyprio: vt omnem ciuibus adimat formidinem: neue terribilis ſit iis, qui nihil deliquerũt: τοὺς φόβους, inquit, ἐξαίρει τῶν πολιτῶν· καὶ μὴ βούλου περιδεὴς εἶναι τοῖς μηδὲν ἀδικοῦσιν, Sic & Plutarchus monet, manſuetudine potius, ac beneficentia, quam metu aut formidine, ſubditorum beneuolentiam elici oportere. Sic enim ait: ἡμερότητι μᾶλλον, καὶ εὐεργεσίᾳ, ἢ φόβῳ πρὸς εὔνοιαν ὑπακτέον. Et Philo: μετὰ τῆς ἰσχύος τὴν πρᾳότητα σῶζε· ἵνα μὴ φοβερὸς, ἀλλ᾽ αἰδοῦς ἄξιος φαίνῃ τοῖς ἐντυγχάνουσιν: *Vim manſuetudine tempera: ne terribilis potius, quam venerabilis eſſe videaris iis, qui tecum conuerſantur.* Cui ſuffragatur Muſonii hoc: Πειρατέον καταπληκτικὸν μᾶλλον τοῖς ὑπηκόοις, ἢ φοβερὸν θεωρεῖσθαι· τῷ μὲν γὰρ σεμνότης, τῷ δὲ ἀπήνεια παρακολουθεῖ. *Conandum eſt principi, vt verendus potius ſit ſubditis, quam metuendus: Illum enim grauitas ſequitur, hunc inhumanitas.* Et Pythagoræ illud: Θέλε μᾶλλον τοὺς συνόντας σοι αἰδεῖσθαί σε, ἢ φοβεῖσθαι· αἰδοῖ μὲν γὰρ πρόσεστι σέβας, φόβῳ δὲ μῖσος: *Malis eos, qui tecum conuerſantur, vereri te, quam metuere: ſiquidem reuerentiam admiratio, timorem odium comitatur.* Et recte illud quidem.

Nec

Nec enim *vnquam ſatis fida eſt potentia, vbi nimia eſt*, ſecundũ Cornelium Tacitum. Et, vt Poeta vetus dixit:

*Regibus eſt ex manſuetudine certior ſecuritas.*

Sic Seneca: *Saluum regem in aperto clementia præſtat: Ferina iſta rabies eſt, ſanguine ac vulneribus gaudere.* Et alibi: *Remiſſius imperanti melius paretur.* Et in Thebaide:

*Qui vult amari, languida regnet manu.*

Quod recte ita intellexit Alexander ille Seuerus Cæſar: qui à Mammæa matre, & Memmia vxore reprehenſus: quod nimia humanitate & familiaritate poteſtatẽ ſuã redderet humiliorẽ atque contemptiorem: *Imo*, inquit, *ſecuriorem atque diuturniorem.* In quo pulchre æmulatus fuit Antigonum regem Macedonum, qui omnibus admirantibus, initio regni eum aſperiorem, & ſenem iam factum placidiorem in imperio, atq; clementiorem: *Prius*, inquit, *regno & poteſtate, nunc gloria & beneuolentia ſubditorum mihi opus eſt.* Sentiens nimirum, imperium vi & armis plerunque parari, ſed non niſi honeſta opinione, & fide beneuolentiaq; ciuium retineri.

---

## *SYMBOLVM X.*

## FLAVII VESPASIANI.

---

*LVCRI BONVS*
*ODOR EX RE*
*QVALIBET.*

---

[Golz. ἡδεῖα τοῦ κέρδους ἐκ παντὸς ἡ ὀσμή.]

SI LVCRI BONVS EST ODOR EX RE
QVAQVE; *pudori,*

*Quid mirum, præſtat ſi quoque turpe lucrum?*

PEcuniam *Reipublicæ neruum eſſe*, ſcribit Demoſthenes. Et Suidas Pindari ſimile quoddam dictum recitat: ὁ χρυσὸς νεῦρα πολέμου, id eſt, *pecunia neruus belli.* Quod Symbolum vna cum Licinio Mutiano, quo adiutore imperium adeptus fuerat, frequenter in ore habuit Veſpaſianus Cæſar, qui pecuniæ vndequaq; conquirendæ adeo ſtudioſus fuiſſe dicitur: vt è lotio vectigal inſtituerit, & ex omni lucrum odoratus ſit occaſione.

ſione. Cuius rei admonitus aliquando à filio Tito, vt ſui rationem potiſſimum haberet: nec è re tam putida lucrum faceret: pecuniam ex prima collectam penſione naribus eius admouit; ſciſcitans, ecquid ea puteret, & illo negante: *Atqui*, inquit, *è lotio eſt*. Ex quo Iuuenalis Satyricus: LVCRI BONVS EST ODOR EX RE QVALIBET. Quod Græce ita exprimitur: ἡδεῖα κέρδους ἐκ παντὸς ἡ ὀσμή. Quo verbo vſus eſt pro Symbolo Cæſar Veſpaſianus: monens nimirum illud, quod Plautus dixit in Aſinaria & Truculento: *Omnes homines ad ſuum quæſtum callidos eſſe debere*. Faceta quidem illa, ſed omnino peſtilẽs vox eſt, quam & ipſam inter eas, quas Cephiſodorus apud Athenæum nominat improbatas, referre licet: vt & alias eiuſdem generis. Cuiuſmodi eſt Sophoclis illa, μηδὲν σὺν κέρδει κακόν, *nullum cum lucro malum*.

Et eiuſdem hæc altera:

> Τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἔῃ.
> *Dulce eſt lucrum, profectum & à mendacio.*

Itemq; Euripidis iſta:

> Δίκαι' ἐπαίνει, τῷ δὲ κερδαίνειν ἔχου:
> *Laudato iuſta, cæterum lucro hæreas.*

Cui reſpondet iſtud Theodori, quo iubet: πλέον μὲν ἔχειν, ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον, id eſt, *plus æquo habere, laudare tamen quod æquum eſt*. Et notum eſt vulgare illud: κέρδος ἄμεινον αἰσχύνης, *Lucrum pudore melius*. Et Plautinum illud in Pſeudolo: *Nimio illud, quod pudet, facilius fertur, quam illud, quod piget*. Sed longe tamen veriorem ego eſſe puto ſententiam illorum, qui exiſtimant, nihil principi eſſe indignius, quam *lucrum ex omni occaſione odorari*, vt Ammianus loquitur (lib. 22.) adeoque *vel ex mortuo lucrum auferre*, vt in vetere eſt prouerbio. Nam, eodem auctore, *In magnanimo duce non quodlibet lucrum eſt probandum* (lib. 30.) Quinimo multo placet magis illud Terentij in Adelphis; *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum*. Cui affine eſt Plauti hoc dictum in Captiuis:

> *Non ego omnino lucrum omne eſſe vtile homini exiſtimo:*
> *Scio ego, multos iam lucrum luculentos homines reddidit:*
> *Eſt etiam, vbi profecto damnum præſtat facere, quam lucrum.*
> *Odi ego aurum, multa multis ſæpe ſuaſit perperam.*

Præclare enim Publius in Mimis:

> *Lucrum ſine damno alterius fieri non poteſt.*
> *Damnum appellandum eſt cum mala fama lucrum.*

Et

Et Diogenes: *Damnum potius, quam turpe lucrum, eligendum.* Et Xenophon: *Spes mali lucri, damni initium eſt.* Sic & Auguſtinus. *Nemo habet iniuſtum lucrum, ſine iuſto damno.* Atq; ob hanc ſolam pecuniæ cupiditatem merito culpatum fuiſſe Cæſarem Veſpaſianum ſcribit Suetonius: cum princeps alias eſſet prudentiſſimus & iuſtiſſimus, omniſque officii diligentiſſimus. Neq; enim contentus omiſſa ſub Galba vectigalia reuocaſſe, noua & grauia addidiſſe, & auxiſſe tributa prouinciis nonnullis & duplicaſſe: negotiationes quoque vel priuato pudendas propalam exercuit: coemendo quædam tãtum, vt pluris poſtea diſtraheret: nec candidatis quidem honores, reiſue tam innoxiis, quã nocentibus abſolutiones venditare cunctatus eſt. Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemq; ad ampliora officia ex induſtria promouiſſe, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo pro ſpongiis dicebatur vti: quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humẽtes. Quidam natura cupidiſſimum tradunt, idq; exprobratum ei à ſene bubulco, qui negata ſibi gratuita libertate, qua imperiũ cũm adeptum ſuppliciter orabat, proclamauerit: *Vulpem pilum mutare, non mores.* Sunt contra alij, qui opinentur, ad manubias & rapinas neceſſitate compulſum, ſumma ærarii fiſcique inopia: de qua teſtificatus ſit initio ſtatim principatus, profeſſus quindringenties millies opus eſſe, vt R. ſpubl. ſtare poſſet. Quod & veriſimilius videtur, quando male partis optime vſus eſt, auctore C. Suet. Trãquillo. Enimuero præſtat ſubditis principẽ negotiationes facere quæſtuoſas, quã ipſum cũ aliquo quæſtu negotiari. Recte enim Iſocrates ad Nicoclem: τὰς μὲν ἐργασίας τοῖς πολίταις καθίστη κερδαλέας: τὰς δὲ πραγματείας ἐπιζημίους· ἵνα τὰς μὲν φεύγωσι, πρὸς δὲ τὰς προθύμως ἔχωσι: *Effice negotiationes ciuibus lucroſas, lites detrimentoſas: vt has fugiant, illas appetant.* Et Q. Curtius lib. I. *Princeps*, inquit, *ſe regem eſſe, non mercatorem, meminerit.* Plane enim auctore Tullio (lib. 2. de Offic.) *nullum vitium tetrius eſt auaritia, præſertim in Principib. & Reipub. gubernatoribus.* Siquidem *pecuniis acerbe conquirendis, plus inuidiæ ſibi, quam virium, addunt*, ſecundum Tacitum: *& cum omnia rapiant, & rapta retineant, vt ſi nihil rapuiſſent, nihil retinuiſſent, plerunq; his tamen omnia deſunt*, vt Plinius ſcribit in Panegyrico.

## *SYMBOLVM XI.*
## TITI VESPASIANI.

*PRINCEPS*
*ORBIS AMOR*
*BONVS.*

[Golz. *Nemo me iniuria afficere aut contumelia poteſt, quia nihil ago, quod alios poſſit lædere.*
Item: *Ego, quoniam nihil facio dignum contumelia, mendacia nihil curo.*
Item: *Non oportet quenquam à conſpectu principis triſtem diſcedere.*]

PRINCIPIS A FACIE NE QVIS DISCEDAT *amicus*
TRISTIOR: *hæc laus eſt Principis vna boni.*

TItum Cæſarem C. Suetonius Tranquillus ſcribit adeo fuiſſe liberalem in deſideriis hominum explendis, vt ne vllum quidem ſine ſpe dimitteret. Quam ob cauſam admonentibus domeſticis, quaſi plura polliceretur, quam præſtare poſſet: NON OPORTERE, ait, QVENQVAM A SERMONE PRINCIPIS TRISTEM DISCEDERE, ſeu, vt eſt apud Dionem: οὐδένα δεῖ συγγνάζοντα τοῦ προσώπου ἀπαλλάττεσθαι τοῦ βασιλέως. Magnifica vero & perhumana vox, & digna tanto Cæſare: qui ſi non maior, at certe par fuit Auguſto, licet in diuerſa ætate, vt Dion ſcribit. Quod ipſum quoque de Adriano Cæſare fertur, qui permoleſtum ſibi eſſe dixit, ſi quem videret triſtem. Et Cyrus ille Xenophonteus: οὐδὲν, inquit, ἱκανώτερον, ἢ τὸ δύνασθαι ἐλπίδας ἀγαθὰς ἐμποιεῖν ἀνθρώποις: *Satius nihil eſt, quàm bonam ſpem inijcere hominibus.* Sed non tam verbo, quam opere ipſo, Symbolum hoc ſuum Titus expreſſit. Nam neque negauit quicquam petentibus, &, vt, quæ vellent, peterent, vltro adhortatus eſt, & in rebus aduerſis Reipublicæ ac calamitoſis, non modo principis ſolicitudinem, ſed & parentis affectum vnicum præſtitit: nunc conſulendo per edicta, nunc opitulando, quatenus ſuppeteret facultas. Quinetiam recordatus quon-

quondam ſuper cœnam, quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet: memorabilem illam meritoque laudandam vocem edidit: AMICI DIEM PERDIDI. Sed & hanc ipſam ob cauſam Pontificatum Maximum ſe profeſſus accipere, vt puras ſeruaret manus, fidem præſtitit, nec auctor poſtea cuiuſquam necis factus, nec conſcius: quamuis interdum vlciſcendi cauſa non deeſſet, ſed periturum ſe potius, quam puniturum, adiurans. Quid multa? tantum illi ad promerendam omnium voluntatem, vel ingenij, vel artis, vel fortunæ ſuperfuit, vt non ſolum priuatus, quando ſub patre Principe vixit, ſed & quod difficilimum eſt, in imperio ſemper omni odio, nedum vi uperatione publica, caruerit: *& Amor delitiæque generis humani* à S. P. Q. R. fuerit appellatus. Is cum aliquando audiret, ſibi quempiam maledixiſſe: æquo animo hoc ferens & contemnens: *Ego*, inquit, *cum nihil faciam dignum maledicto, ſane maledictum hoc tanquam mendacium parui facio.* Magnam enim fortunam magnus decet animus: cuius proprium eſt, placidum eſſe trāquillumque: & *iniurias atque offenſiones*, vt Seneca loquitur, *ſuperne deſpicere.* Quam in ſententiam olim quoque Auguſtus Cæſar reſcripſit Tiberio, de eadem re apud ſe per Epiſtolam conquerenti: *Ætati tuæ*, inquit, *noli hac in re indulgere, & nimium indignari, quenquam eſſe, qui de me loquatur male. Satis eſt enim ſi hoc habemus, ne quis nobis male facere poſſit*: vt eſt apud Suetonium in Auguſto. Et recte quidem: *Neque enim is, cui maledicitur, miſer eſt, ſed potius is qui maledicit*, teſte Cypriano. Sic Alexander ille Magnus regiū eſſe dixit, bene facere & male audire: Βασιλικὸν. inquit, τ' εὖ ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν. Sed & pater Alexandri Philippus dicere conſueuit, ſe habere gratiam principibus Athenienſium, quod ſuis conuitiis & moribus indies ſe efficerent meliorem. Recte hæc: alioqui *conuicia, ſi iraſcare, agnita videntur: ſpreta exoleſcunt*, vt recte ſenſit Tacitus. Sic & Socrates principium bene viuendi exiſtimauit, malis diſplicere. Et plane ita fecit, vt ſenſit, Titus Cæſar. Nam duos patricij generis, conuictos in affectatione imperij, nihil amplius, quam vt deſiſterent, monuit: dicens principatum fato dari: ſi quid præterea deſiderarent, promittens ſe tributurū. Et confeſtim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, curſores ſuos miſit, qui anxiæ filium ſaluum nuntiarent. Cæterum ipſos non ſolum familiari cœnæ adhibuit, ſed & inſequenti die, gladiatorum ſpectaculo, circa ſe ex induſtria collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda por-

rexit Adeo verum eſt, quod Valerius Maximus dixit, *ſpecioſius aliquanto iniurias vinci beneficiis quam maleficiis.* Quod Nicanoris & Arcadionis exemplo notum eſt, quorum maledicētiā Philippus Macedo in ſui laudem conuertit, ſola humanitate & beneficentia, vt Plutarc. ſcribit in Apophthegmatis. Qua in re optimus & humaniſſimus Princeps Cyrum illum Perſarū regē imitatus eſt, qui apud Xenophontem in Pædia iucundius eſſe ait, humanitatis opera edere, quam rei militaris: ꝙ nimirum in illis beneficum, in his vero maleficum ſe hominem homini oſtendere oporteat. Quod & de Ageſilao & Scipione Africano memoriæ proditū eſt. Sic & Philip. Macedo apud Plutarch. in Apophtheg. *Malo*, inquit, *diu benignus, quā breui tempore dominus, appellari*: ſignificans metum, qui ex vi oritur, malum diuturnitatis cuſtodem eſſe. Quo etiam referri debet D. Traiani Cæſaris reſcriptum illud ad Aufidium Seuerum, quo neminem de ſuſpicionibus damnari vult: *ſatius enim eſſe, impunitū relinqui facinus nocenti, quam innocentem damnari.* vt refert Vlpian. Iuriſc. in Pandect. lib. 48. tit. 19. leg. 5. Sic & Antipho: Εἰ δεῖ, inquit, τι ἁμαρτεῖν τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ὁσιώτερον, ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ γὰρ μὲν ἁμάρτημά ἐστι, τὸ δὲ ἀσέβημα: *Si peccandum ſit, iniuſte reū abſoluere, quam iniuſte damnare aut occidere præſtat: Illud namque peccatum, hoc impietas eſt.*

---

## SYMBOLVM XII.
## FLAVII DOMITIANI.

---

*FALLAX*
*BONVM*
*REGNVM.*

---

[Golz. *Paucis notum eſt, quam miſera ſit principum conditio, qui à tyrannidis falſa ſuſpicione tam demum liberantur, quum agunt animam.*]

*O miſeram regni ſortem, regumque! tyrannos*
*Quiſque vocat: mors hos liberat vna metu.*

SVmmus & præſtantiſſimus orator Iſocrates Nicocli de regno adminiſtrando præcipiens, omnium rerum humanarum maximum, & quod maximam curam prouidētiamq; poſtulet,

ſtulet, regnum eſſe affirmat. Sic enim ait: *Ἡ βασίλεια τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων μέγιστόν ἐστι, καὶ πλείονος προνοίας δεόμενον.* Sic & Liuius li. 2. Dec. 1. *Regnum*, inquit, *minime populare eſt: idemque res eſt pulcherrima inter Deos & homines.* Quo fit, *vt imperio maximo maxima inſit cura*, vt Saluſtius loquitur. Nam, vt Pythagoricus ille Philoſophus ſcribit: *Βασίλεια θεομίμητον πρᾶγμα, καὶ δυσφύλακτον ὑπ' ἀνθρωπίνης ψυχῆς· ὅπη ταχέως ὑπὸ τρυφῆς καὶ ὕβρεος ἀλλάσσεται.* Itaq; Phalaris tyrannus ad Paurolã aliũ ſcribens: *ἐγὼ μὲν*, inquit, *ἀμφοτέρων πεπειραμένος, τυραννηθῆναι μᾶλλον εὐξαίμην ἄν, ἢ τυραννῆσαι. ὁ μὲν γὰρ ἕνα φοβεῖται, τῶν ἄλλων χαλεπῶν ἀπηλλαγμένος, τὸν τύραννον: ὁ δὲ τύραννος τοὺς ἔξωθεν ἐπιβουλεύοντας, καὶ δι' οὓς σώζεται*: *Ego vtrũq; expertus, tyrannidi malim ſubeſſe, quã præeſſe. Qui n. ſubeſt, aliorum malorum ſecurus, vnum metuit tyrannum: qui autem præeſt, tyrannus eos ſimul metuit, qui foris inſidiantur, & à quibus domi cuſtoditur.* Quam in ſententiã Lucretius ſcribit l. 5.

*——— E ſummo quaſi fulmen deiicit ictos*
*Inuidia interdum contemptim in Tartara tetra:*
*Vt ſatius multo iam ſit parere quietum;*
*Quam regere imperio res velle, & regna tenere.*

Simile eſt huic Domitiani Cæſaris dicterium, quod ex Herodoto ſumptum eſt: *τυραννὶς χρῆμα σφαλερόν.* Quod Seneca totidem verbis expreſſit: FALLAX BONVM REGNVM. De quo Dion ſcribit in hunc modum: *ὀλίγοι*, inquit, *ἴσασιν ὡς ταλαίπωροί εἰσιν αἱ τύχαι τῶν δυναστευόντων: τῶν τότε πρῶτον πιστευομένων ἀπηλλάχθαι τοῦ τυραννεῖν, ὅτε τὸν βίον ἐτελεύτησαν.*

Seneca autem in Oedipo:

*Quiſquamne*, inquit, *regno gaudet? ô fallax bonum!*
*Quantum malorum fronte quam blanda tegis?*

Sic & Iocaſta ad Polynicen de Eteocle fratre loquens, in Thebaide eiuſdem:

*Ne metue*, ait *pœnas equidem ille ſoluet graues;*
*Regnabit: hæc eſt pœna: ſceptra nemini*
*Impune ſic eſt gerere.*

Et Euripides in Ione, *regnum ſpecie quidem externa lætum ac iucundum: intus vero triſte ac moleſtum eſſe* aſſeuerat. Sic Antigonus filium ſuum conſpicatus aliquanto ferocius inſolentiuſque nonnullos tractantem: *An ignoras*, inquit, *regnum eſſe ſplendidam ſeruitutẽ?* Idem vetulæ cuidam regni ſui felicitatem prædicanti, oſtenſo diademate: *Si noſſes*, inquit, *quantis malis panniculus iſte refertus eſſet, ne humi quidem iacentẽ tolleres!* Mirũ autem profecto eſt, cum regnum ſit res tam miſera, & quouis

grauior ſupplicio, tot eius amatores ſubinde reperiri, qui, vna cum Polynice illo apud Senecam, *pro regno velint patriam, penates, coniugem flammis dare: & quibus imperia precio quolibet conſtant bene.* Quemadmodum & Herodotus ſcribit (libro 3. in concione Otanæ:) τυραννὶς χρῆμα σφαλερὸν: πολλοὶ καὶ αὐτῆς ἐρασταί εἰσιν. Et Salluſt. in Iugur. *Natura mortalium auida imperij eſt.* Itemque Tacitus: *vetus ac pridem inſita mortalibus potentiæ cupido: eaque cunctis affectibus flagrantior. Itaque regnum multi appetunt; nec boni ipſi, nec bono fine: plerunque etiam malo cum exitu.* Qualem ipſum quoque fuiſſe Domitianum conſtat, qui regni ardens cupiditate, Titum fratrem veneno ſuſtuliſſe creditur. Cui vt vita, ita ſermone plane ſe contrarium exhibuit. non ſolū magnæ, ſed & callidæ, inopinatæque ſæuitiæ: adeo vt principem eum, à quo permulti homines non punirentur, fortunatum magis, quam bonum, eſſe diceret. Quam Stoicorum quoque ſententiam fuiſſe teſtatur Cicero: qui dixerunt, *Sapientem gratia nunquam commoueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere: neminum miſericordem eſſe, niſi ſtultum & leuem: viri non eſſe, neque exorari, neque placari.* De qua plura vide apud Stobæum ſermon. 44. Quæ quidem ſententia non niſi de ſalutari ſeueritate vera eſt, quæ inanem vincit ſpeciem clementiæ, vt M. Cicero docet. Quandoquidem, teſte Seneca, *Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt; quam nulli parcere.* Sed quid quæſo eſt honeſtius, quam culpa benignitatis? tūc enim præcipua eſt laus manſuetudinis, cum iræ cauſa iuſtiſſima eſt: verumque eſt, quod vir mitiſſimus, & ob hoc quoque maximus dicere ſolebat: *Qui vitia odit, homines odit*, vt notat C. Plinius Secundus lib. 8. & 9. *Neque enim minus Principi turpia ſunt multa ſupplicia, quam medico multa funera: Neque tanti eſt vita, ſi, vt tu non pereas, tam multi perdendi ſint*, auctore Seneca. Quo fit, vt remiſſius imperanti melius pareatur, & obſequiō mitigentur imperia: *multoque ſit ſatius ad clementiæ commodum tranſilire interdum terminos æquitatis, quando ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant*, vt in Epiſtolis ſcribit Caſſiodorus (lib. 11.)

SYM-

## *SYMBOLVM XIII.*
# NERVAE COCCEI.

*MENS BONA*
*REGNVM*
*POSSIDET.*

[Golz. *Nihil me feciſſe ſcio, quo minus poſſem, depoſito imperio, priuatus tuto viuere.*]

MENS REGNVM BONA POSSIDET: *ſed iſtud*
*Regnum dat ſibi quisque: ſic regendo*
*Subiectos placide ſuos: amicus*
*Princeps vt ſit amabiliſque: tuto*
*Priuatus ſimul ac loco quieſcat:*
*At ſecurus ametur, aut colatur.*

PRincipem vſque adeo bonum fuiſſe Neruam ſcribit Dion, vt aliquando dicere ſit auſus: NIHIL SE FECISSE, QVO MINVS POSSIT depoſito imperio, PRIVATVS TVTO VIVERE. οὐδὲν, inquit, ἐμαυτῷ συνοιδα πεποιηκότι, ἐφ' ὅτῳ μὴ καὶ ἀσφαλῶς ἰδιοτεύειν. Adeo, ſecundum Senecam in Thyeſte:

> MENS REGNVM BONA POSSIDET.
> *Rex eſt qui metuit nihil:*
> *Hoc regnum ſibi quisque dat:*

Nam iuſtitia & beneficentia Principis, fidem atque beneuolentiam parit multitudinis: beneuolentia fideſque charitatē: charitas ſecuritatem: ſecuritas diuturnitatem imperij: quarũ rerum omnium comes eſt immortalis gloria. Contra autem iniuſtitia & ſæuitia gignit metum: metus odium: odium inſidias: inſidiæ interitum: quas res perpetua comitatur infamia. Quod præclare etiam hoc modo diſputat Demoſthenes in oratione ſecunda Olynthiaca. ὅταν, inquit, ὑπ' εὐνοίας τὰ πράγματα συστῇ, καὶ πᾶσι ταὐτὰ συμφέρῃ τοῖς μετέχουσι τοῦ πολέμου, καὶ συμπονεῖν, καὶ φέρειν τὰς συμφορὰς, καὶ μένειν ἐθέλουσιν οἱ ἄνθρωποι: ὅταν δὲ ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις ἰχύσῃ: ἡ πρώτη πρόφασις, καὶ μικρὸν πλαῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσε. Itaq; parum ſibi prudenter cõſulunt, qui plus in armis, quam beneuolentia ſubditorum,

præſidii ſibi repoſitum putant. Metus enim & iniuria peſſimi ad diuturnitatem cuſtodes ſunt: contraque amor & charitas eorũ, qui parent, longe fortiſſimum atque tutiſſimum in omni fortuna principib. firmamentum atq; propugnaculum: *Male enim* (ſi Plinio credimus) *terrore veneratio acquiritur: lõgeq́; valentior eſt amor ad obtinendum quod velis, quam timor:* adeoque ſecundum Claudianum:

*Peragit tranquilla poteſtas,*
*Quod violenta nequit: mandataque fortius vrget*
*Imperioſa quies.*

Cæterum cum Symbolo hoc Neruæ Cæſaris congruere videtur Stephani illa Boiorum ducis vox egregia qui Ioan. Galeatio, Inſubrium duci, de perfidia ſubditorum & odio, inſidiiſque apud ſe multa conquerenti; *Ego vero*, inquit, *neminem ex omnibus ſcio, qui mihi parent: cui me non abſque periculi metu inermem committere, etiam in vaſta ſolitudine, & in cuius ſinu nõ in vtramque aurem obdormire auſim.* Quod idem de ſe quoque prædicaſſe fertur Eberhardus primus Dux Wirtebergicus in Comitiis imperialibus apud Vangiones habitis, cum ſinguli Principes ſingulas regionum ſuarum laudes deprædicarent. Sic & Agaſicles rogatus, qua ratione Princeps tutus abſq; ſtipatoribus & ſatellitibus viuere poſſet: *Si*, inquit, *ſubditis ita imperet, vt pater liberis.* Nam verum eſt, quod Xenophon ſcribit, *Nihil intereſſe inter Principem bonum, & bonum patrẽ.* Qua de re, vide principium lib. 8. de Cyri diſciplina. De Symbolo Neruæ ita luſit C. Eraſmus Michaelius Lætus in ſuis Cæſaribus:

*Cæſaris hæc vox eſt Neruæ: ſe Romula tali*
*Sceptra quidem, & faſces ſuſtinuiſſe manu:*
*Vt nihil horreſcat priuatam ducere vitam:*
*Et nihil inſidias pertimuiſſe velit.*

SYM-

## SYMBOLVM XIV.
## VLPII TRAIANI.

*QVALIS REX*
*TALIS GREX.*

[Golz. *Talis priuatis ſit Imperator, quales ſibi priuatos optat habere.*
Item: *Fiſcus lien, quo creſcente reliqui artus omnes tabeſcunt.*]

QVALIS REX, TALIS GREX: *ſi bene rex, bene vult grex:*
*Mutua ſic regem cura gregemque beat.*

ALITER.

*Talis ſit Imperator erga ſubditos,*
*Quales is erga ſe vult eſſe, quos regit:*
*Nam cum volet bene rex, volent bene ſubditi.*

PRæclara vero & Traiano digna Cæſare vox: qua monuit, PRINCIPEM ERGA SVBDITOS TALEM ESSE DEBERE, QVALEM ERGA SE VELIT ESSE IPSOS SVBDITOS, Græca verba è Dione hæc ſunt: τοιοῦτος γιγνέσθω περὶ τοὺς ἰδιωτεύοντας ὁ αὐτοκράτωρ οἵους περὶ καὶ τούτους πρὸς ἑαυτὸν ἂν γιγνέσθαι εὔχοιτο: Fit enim plerunque, vt Princeps exemplo ſuo trahat ſubditos, quorum non animis ſolum, ſed oculis etiam ſeruire eum oportet Nam *vita principis cenſura eſt*, ſecundum Plinium: *eaque conditio principis eſt*, auctore Fabio, *vt quicquid faciat præcipere videatur.* *Recte* enim *facere Princeps ciues ſuos faciendo docet*, auctore Velleio: *ipſiq; adeo ſe homines in Principis, aut regis, velut vnici exempli, mores formant*, vt Liuius vult. Hinc & Claudianus:

*---componitur orbis*
*Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus*
*Humanos edicta valent, quàm vita regentum.*

Quales igitur Principes ſunt, tales exiſtũt Reſpublicæ, auctore Xenophonte: & quales in Republica ſunt Principes tales reliqui ſolent eſſe ciues, qui ſtudioſe facta Principum fere imitantur: vt ex Platone refert M. Tullius Cicero in Epiſt. *Quales* enim *heræ, tales ancillæ*: vt in Prouerbio eſt. Iraque *non tam imperio ſubditis opus eſt, quam exemplo*, vt Plinius vult in

Panegyrico: quod multo etiam vrget efficacius; quam ipſæ leges: ſiquidem duci natura mauult, quam cogi: adeoque ſecũdum Tacitum, *obſequium in principem & æmulandi amor validiora, quam pœna ex legibus.* Si, Herodianus: φιλεῖ ἀεὶ πᾶς τὸ ὑπήκοον ζήλῳ τῆς τοῦ ἄρχοντος γνώμης βιοῦν. Quo fit, vt ſi vitia concipiunt ipſi principes: ea plerunque infundant in ciuitatem: neque obſunt, quod ſolum ipſimet corrumpuntur, ſed etiã quod corrumpunt, pluſque exemplo, quam peccato, nocent. Contra autem principes prudenti gubernatione non tantum proſunt Reipublicæ, ſed exemplo etiam ſuo mores ciuium emendant. Sic Seneca in Thyeſte:

*Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.*

Sic & Cyrus ille Xenophonteus omnino ſibi virtutem colendam eſſe exiſtimabat. Nec enim fieri poſſe putabat, vt ſi quis ipſe talis nõ ſit, qualem eſſe oporteat, alios ad præclaras & laudabiles actiones excitare queat: neminique adeo conuenire imperium, qui non ſubditis eſſet melior. Et ſane, *vt principis mores ſunt, ita res fere adminiſtrantur, vtpote à quo pendeant: qui ſi ignauus ſit, ruunt in deterius: ſin bonus & ſtrenuus, ipſæ quoque Reſpublicæ florent & eriguntur,* teſte Niceta. Sed hæc quidem in genere, vt recte ac bene dicuntur, ita longe rectius & melius ea dici poſſe videtur de principis erga ſubditos affectione & voluntate: nimirum vt qualem is ſe erga hos præbuerit, tales etiam ipſos experturus ſit, & contra: vt huic ſcilicet reſpondeat vulgare illud verbum; *Fortunam ſuos cuique mores fingere.* Sic Iſocrates ad Nicoclem: ὅπως ἂν, inquit, τοὺς ἄλλους πρὸς σεαυτὸν διαθῇς, οὕτω καὶ σὺ πρὸς ἐκείνους ἕξεις: *Quo tu animo ſubditos erga te eſſe vides, eodem & ipſe in illos eſſe debes.* Nam, vt Q. Curt. ſcribit, *regũ ducumque clementia, non tam in ipſorum, quam in eorum, qui parent, ingeniis ſita eſt.* Sic Plato in epiſtolis: τόδε οὐδαμῶς ῥᾴδιον, πολλὰ κακουργοῦντα τοὺς ἄλλους, μὴ οὐ καὶ πάσχειν αὐτὸν πολλὰ ἕτερα: *Fieri nõ poteſt, vt qui maleficiis alios multis afficit, ab his non viciſſim quoq; multis afficiatur maleficiis.* Contra autem, vt ametur princeps à ſubditis, & vt ipſe viciſſim hos amet:

*Hoc alterna fides: hoc ſimplex gratia donat;*

vt Claudianus monet. Nam, vt vetus habet prouerbium: κακοῖς τρὶς κακά, *Malis ter mala.* Recte igitur Iuſtinianus Imperator Nou. 8. καλὴ, inquit, καὶ σύμφωνος τῶν τε ἀρχόντων, καὶ τῶν ἀρχομένων ἁρμονία: *Pulcra & conſonans eſt magiſtratus ac ſubditorum harmonia,* quippe qua ſoluta ſequitur ἀταξία, & perturbatio omnium Reipublicæ ordinum. Sed & paulo aliter à quibuſdam

Symbo-

Symbolum hoc Traiani explicatur, qui amicis incuſantibus, quod parum memor maieſtatis Imperatoriæ, nimis ſe familiarem præberet omnibus: *Talem*, inquit, *præſtabo Imperatorē priuatis, qualem optarem ipſe priuatus*. Porro alia quædam Traiani Cæſaris apophthegmata memoria digniſſima refert Xiphilinus è Dione: vt quod in Senatu dixit, *nullum ſe vnquam virum bonum male habiturum, nedum occiſurum*. Item & illud, quod præfecto prætorio mandauit, porrecto nudo gladio: *Accipe*, inquit, *gladium, quem pro me, ſi recte impero; ſin minus, contra me diſtringe*. Sed & eiuſdem Cæſaris Symbolum illud recenſetur: quod *fiſcum* appellauit *lienem*: quoniam eo creſcente reliqui artus contabeſcunt. Cuius rei hanc adfert rationem Ariſtoteles in Problematis, quod ſplen multam ad ſe trahit materiam, quæ tranſire in alimētum debebat; hinc & homines parui ſplenis pingues effici conſtat. Ex quo & Plinius in Panegyrico ad Traianum: *Quæ*, inquit, *gloria tua eſt præcipua, ſæpe vincitur fiſcus: cuius mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub bono principe*. Cum quo congruit Caſſiodori illud: Fit interdum cauſa mala fiſci, vt bonus princeps eſſe videatur. Raro enim vtrumq; hoc ſub adminiſtratione perfectum eſt, vt & fiſcus creſceret, & priuata vtilitas nulla perferret damna. Et alterum hoc eiuſdem. Incrementa fiſcalium tributorum iuſtiſſimo pēdenda ſunt iudicio, quia ſeruientium imminutio eſt huius illationis acceſſio, quātumque pars illa proficit, tantum ſe hæc à firmitate ſubducit. Sed à nobis, qui fiſci vtilitatē ſtabili volumus diuturnitate cōſiſtere, excludenda eſt diſpendioſa ſemper enormitas: ne augmento ſuo tumens ſumma deficiat, incipiatq; magis deeſſe, quia immaniter viſa eſt accreuiſſe. Laudabilius à parte fiſci perditur, cum iuſtitia non habetur. Quo etiam pertinet locus ille Eutropii & Sexti Aurelii in vita Cōſtantii & Iuliani: Pompeia Plotina incredibile dictu eſt quantum auxerit gloriam Traiani, cuius procuratores cū calumniis prouincias agitarēt, adeo vt vnus ex iis diceretur locupletum quemq; ita conuenire. Quæ habes, vnde habes? pone quod habes, illa coniugē corripuit, atque increpans; quod gloriæ ſuæ eſſet incurioſus, talem poſtea reddidit, vt exactiones improbas deteſtans, fiſcū lienem vocaret: quod eo creſcente reliqui artus tabeſcant. De hoc Emblema tale eſt apud Alciatum.

*Humani quod ſplen eſt corporis, in populi re*
*Hoc Cæſar fiſcum dixerat eſſe ſuum.*

*Splene aucto reliqui tabeſcunt corporis artu:*
*Fiſco aucto arguitur ciuica pauperies.*

## SYMBOLVM XV.
## ÆLII HADRIANI CÆSARIS.

### NON MIHI, SED POPVLO.

[Golz. *Sic geſturus ſum principatum, vt ſciam rem populi eſſe, non meam priuatam.*]

*Quem ſua non tam vota mouent, quam publica; quique*
NON SIBI, SED POPVLO *conſulit, ille placet.*

SCribit Dion, Hadrianum Cæſarem frequenter in Senatu dicere ſolitum fuiſſe: Imperium ſe ita adminiſtraturum, vt ſciret REMPVBLICAM ESSE, NON SVAM. Οὕτως, inquit, διοικήσω τὴν ἀρχὴν· ὡς ἐγνωκὼς, ὅτι οὐχὶ τῶν ἐμαυτοῦ πραγμάτων ἀλλὰ τῶν ἀρχομένων ἐπιμελοῦμαι. Quod & Seneca præcipit libro de Clement. 1. *Princeps*, inquit, *exiſtimet, non Rempublicam ſuam, ſed potius ſe eſſe Reipublicæ.* Nam ſecundum Liuium, *Reſpublica incolumis res ſeruat priuatas.* Nimirum hoc vno rex potiſſimũ differt à tyranno, qui ſummum crimen putat, populum, aut Rempublicam eſſe diuitem, teſte Iſocrate. Princeps vero & rex bonus, NON TAM SIBI, QVAM POPVLO conſulit: eorumque, quibus præeſt, commodis vtilitatique ſeruit. Sic M. Cicero in Orat. Agrar. ad popul. Si, inquit, conſulis populo; remoue te à ſuſpicione alicuius tui commodi: fac fidem, te nihil niſi populi vtilitatem & fructum quærere. Et ad Q. Fratrem: Huc omnia referenda ſunt ab iis, qui præſunt aliis, vt qui eorum in imperio erũt, ſint quam beatiſſimi. Et paulo ante: Principi omnium, quibus præeſt, ſalutem, liberos, famam, fortunas eſſe cariſſimas decet. Et Plato de Repub. Qui præſunt Reipublicæ vtilitatem ciuium ſic tueantur: vt quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Vt enim tutela, ſic procuratio Reipublicæ, ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſi ſunt, gerẽda eſt. Quod & Seneca alicubi recte monet, principi non ſeruitutem ciuium, ſed tutelam traditam eſſe: quorum ipſe & tutor

tor, & defenſor, imo pater eſſe debeat: qui vere eſt Homericus ille ποιμὴν λαῶν, hoc eſt, paſtor populorũ: qui teſte Xenophonte, eligitur, non vt ipſe ſe molliter curet: ſed vt per ipſum ij, qui elegerunt, bene, beateq; agant. Sic & idẽ Sẽ. in Troade monet:

*Præferre patriam liberis regem decet.*

Et Claudianus ad Honorium:

*Tu ciuem patremque geras, tu conſule cunctis,*
*Nec tibi, nec tua te moueant, ſed publica vota.*

Sic Fl. Vopiſcus in Tacito ſcribit, *principem omnibus tanquam patrem conſulere debere.* Quoniam ingens eſt gloria morientis principis, Rempublicam magis amare, quam liberos. Quomodo & P. Scipio Naſica patriam cognationi præferens, quicquid publice ſalutare non eſſet, priuatim alienum exiſtimauit: ob quam virtutem primus omnium abſens Pontifex Maximus factus eſt, auctore C. Velleio Paterculo. Quo etiam Plautinum illud pertinet in Trinummo: quo monetur, *ne magiſtratus pauciorum gratiam faciat pluris, quam id quod proſit pluribus.* Et Aurelii Victoris præclara illa ſententia: *Bonis principibus ſalus ciuium, ac longa ſui memoria chariora ſunt: quæ non gloriæ modo, verum etiam ratione quadam poſterorum felicitati proficiunt.* Plurimum vero intereſt Reipubl. locupletes habere ſubditos, vt IC. loquitur. Quãdoquidẽ, vt Iſocrates monet, ἅπαντα τὰ τῶν οἰκούντων πόλιν, οἰκεῖα τῶν καλῶς βασιλευόντων ἐστὶν: id eſt, *ſingulorum facultates & copiæ ſunt diuitiæ ciuitatis,* vt Cicero loquitur. Nam ſi quidem ciuitas aut Reſpublica ſit fælix ac beata, omnia bene habent: quippe in qua inſunt omnia: hac ſalua, cuncta ſeruantur, hac pereunte, nihil non peſſum it: vt recte dixit Græcus ille vir ſapiens. Magis enim illa principis ſunt patrimonia, quæ à ſubiectis legitime poſſidentur, ſecundum Caſſiodorum in Epiſtolis. Quare publica ciuitatis negotia omnium exiſtimare maxima oportet: quo feliciter illa augeantur: neq; potentiam ſibi comparare priuatam, præter bonum publicum. Neq; enim vllæ opes aut certiores ſunt, aut vtiliores, quam quæ ſunt apud ſubditos: hæ ſolæ ſtabiles firmæque permanent: quibus princeps, vbi neceſſitas poſtulat, vtatur ac fruatur, cum voluntate & ſtudio ſubditorum. Itaque hæc boni principis menti, hoc ſucceſſibus congruit proſperis: vt integra omnium patrimonia labore & fortitudine ſua ſeruet: ſummumque adeo & primum pietatis eius munus eſt, Rempublicam vt domum paternam, & ſubditos vt liberos diligere, teſte Ammiano Marcellino. Quod recte ita intellexit

Conſtan-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0045-0

Conſtantius Chlorus Imperator, qui ingentem auri vim, propter Diocletiani & Maximiani criminationes, ad nutum ipſius à ſubditis certatim atque prompte collatam in Gallia, domum his cunctantibus, & Imperatori ſuo gratificari cupientibus, reportari iuſſit: quod nimirum eius nuſquam tutior cuſtodia, nuſquam ex ea fructus maior, quam apud ſubditos, capi poſſe videretur: à quibus, quoties opus foret, cum centuplo fœnore, & cum maximis vſuris repeti ea poſſet. Sic & Conſtãs Imperator opes publicas melius à priuatis compluribus haberi cenſuit, quam intra vnum principis clauſtrum reſeruari. Nec ab his diſſentit Iſocrateum illud præceptum ad Nicoclẽ: σημεῖον ἔστω σοὶ τοῦ καλῶς βασιλεύειν· ἐὰν τοὺς ἀρχομένους ὁρᾷς εὐπορωτέρους καὶ σωφρονεστέρους γιγνομένους διὰ τὴν σὴν ἐπιμέλειαν: *Sit argumentum hoc tibi boni & felicis imperij: vbi ſubditos cura tua locupletiores opulentioreſq; factos eſſe intellexeris.* Sic Artaxerxes ille magni Xerxis filius *regalius eſſe* dixit *dare quam accipere.* Et Ptolemæus Lagi filius, *magis ait decere regem, ditare ſubditos, quam ipſum diuitem eſſe; Quippe ſubditorum diuitiæ, ſunt diuitiæ Imperatorum.* Quo etiam pertinet colophon ille legum XII. Tab. *Salus populi, ſuprema lex eſto.*

## *SYMBOLVM XVI.*
## L. ÆLII CÆSARIS.

### *VXOR NOMEN DIGNITATIS, NON VOLVPTATIS.*

*Si* DIGNITATIS VXOR *eſt* NOMEN *bonum;*
*Nomen voluptatis cur hoc fiat malum?*

L. Ælius Verus Cæſar à D. Adriano Imp. adoptatus, cum peregrinis eſſet deditus voluptatibus, vxori apud ſe conquerenti, & voluptatis ſuæ vſum quadantenus excuſanti: Patere, inquit, me per alias ſic exercere cupiditates meas. VXOR n. DIGNITATIS NOMEN EST, NON VOLVPTATIS, teſte Spartiano. Recte ille quidem vxori vt matronæ honeſtæ & matrifamilias, non tã voluptatis, quã dignitatis ſuæ, rationẽ habendam

eſſe voluit, cum, vt Seneca ait in Octauia,

*Probitas, fides, mores, pudorque coniugis*
*Placeant marito.*

Quippe *quæ firmamentum eſt familiæ*, vt Afranius dixit; & vt Menander, πηδάλιον οἰκίας, id eſt, *gubernaculum domus*: & ταμεῖον ἀρετῆς, id eſt, *penu virtutis*, vt idem loquitur: Cuius ſane, vt Flaccus canit:

*Dos eſt magna, parentium*
*Virtus, & metuens alterius viri*
*Certo fœdere caſtitas.*

Quæ quidem ſi vni placere ſtudet marito, cuius eſt materfamilias: pie ea ſancteque facit; eodemque pacto, ſecundum Mimum Publii,

*Caſta ad virum matrona parendo imperat:*

quando ſcilicet *rex reginæ ſuus placet*, vt eſt apud Plautum:

*Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis,*
*Morigeriſque modis, & mundo corpore culta:*
*Vt facile inſueſcat ſecum vir degere vitam.*

Quemadmodum Lucretius cecinit: nam & ſecundum Tacitũ, *In bona vxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpæ eſt*: neq; *æquum eſt, vt vxor maritum in rebus aduerſis deſerat, cui rerum ſecundarum ſocia & particeps fuit*, auctore Zonara. At vero L. Ælius Cæſar, quod omnem ſibi indulget voluptatem, quam vxori prohibitam eſſe vult: id præter omnem rationem facit. Quoniam *iniquum eſt*, vt Vlpianus ait, *ſi maritus ab vxore exigat pudicitiam, quam ipſe non exhibeat, cum eadem à viro, quæ ab vxore, debeatur caſtimonia*, ſecundum Ambroſium: licet alias *adulter ſit amator plerunque in ſuam vxorem ardentior*: vt Sextus ſcribit apud Hieronymum. Itaq; vt *vxor contenta eſt, quæ bona eſt, vno viro*: ita quo minus vir vna vxore ſit contentus, nulla ſuadet ratio: ſicut recte hoc argumentatur Syra apud Plautum in Mercatore. Nam *cum vxore*, ſecundum Euripidem, *in eodem conſeneſcere lecto, iuſtum eſt*. Sic nimirum *vxor* ea futura eſt, *quæ non vereatur viri*: qualem optandam eſſe monet Afranius apud Nonium. De quo ita Naſo Poeta ſcribit lib. de rem. 2.

*Nulla ſit, vt placeas alienæ cura puellæ:*
*Fac ſed vt e multis illa ſit vna tibi.*

Et Propertius lib. 2 Eleg.

*Felix Admeti coniux, & lectus Vlyſſis:*
*Et quæcunque viri fœmina limen amat.*

Quo etiam referri debet præceptum illud Ariſtotelicum in Oeconomicis: *Maximus eſt honor mulieri caſtæ, ſi viderit virum ſibi caſtũ & fidum eſſe: & nihil magis curare, quam vt caſtam & fidam habeat vxorem.* Item hoc alterum eiuſdem: *Cultor Muſarum dominus multos Muſicos facit. Sic vir voluptarius vxorem facit voluptariam: amator vero probitatis & decoris, probam ac decentem, & quæ vxor dignitate ſit, non voluptate, vt meretrix vel cõcubina*: quam alias Demoſthenes ſanitatis cauſa habere non reprobat. Quo etiam pertinet Plutarchi illud in Solone: *Qui in vxore ducenda honeſtatis nullam habet rationem: ſatis oſtendit, non liberorum, ſed libidinis cauſa id ſe facere: itaque & mercedem ſuam habet: & ius in natos nullum ſibi reliquum fecit, quibus vt natum eſſe ſit opprobrio effecit.*

---

## *SYMBOLVM XVII.*

## M. ANTONINI PII.

---

*MELIVS*
*SERVARE VNVM,*
*QVAM*
*OCCIDERE MILLE.*

---

[Golz. *Vellem me ſine Senatorio ſanguine imperium tranſigere.*
Item: *Honeſtius eſt Cæſari, vnum ciuem ſeruari, quam mille hoſtes occidi.*]

*Pulchrius eſt,* VNVM *ciuem* SERVARE, *monarcha:*
*Hoſtes* QVAM *forti* CÆDERE MILLE *manu.*

QVod Scipio ille Africanus dicere ſolitus fuit: MALLE SE VNVM CIVEM SERVARE, QVAM MILLE HOSTES OCCIDERE: hoc Symboli loco poſtea vſurpaſſe ſcribitur M. Antonin. Pius Cæſar: *Κάλλιον*, inquit, *πολίτην ἕνα σώζειν, ἢ χιλίους τῶν πολεμίων ἀποκτεῖναι.* Pacẽ nimirũ præferẽs bello: & in ipſo bello ſentiens hanc oportere primã eſſe ducis curã: vt quã minima ciuium iactura paretur victoria Sic & Ageſilaus apud Xenophontem: *ἄλλων δ' ἐγὼ μὲν*, inquit, *καίπερ ὑπερχαίρω ὅταν ἐχθρὸν τιμωρῶμαι πολὺ μᾶλλον μοι δοκῶ ἥδεσθαι ὅταν τι τοῖς φίλοις ἀγαθὸν εὑρίσκω:*

Ego

*Ego etſi vehementer lætor hoſtium exitio: magis tamen delector amicorum officio, aut beneficio à me præſtito.* Quanquam enim, vt Nero iactat apud Senecam:

*Extinguere hoſtem maxima eſt virtus ducis:*

Tamen, vt idem monet Seneca,

*Seruare ciues maior eſt patriæ patri.*

Et, vt in Hercule furente ſcribit.

*Eſt regis alti ſpiritum regi dare.*

Neque enim *princeps* ideo *creatus eſt*, vt lædat, ſed potius, *vt iuuet ſubditos*, teſte Pythagora. Et quoniam victoria eſt natura & inſolens & ſuperba, vt moderate ea non ſemper vti victor aut velit, aut poſſit: profecto is, ſecundum Publium:

*Bis vincit, qui ſe vincit in victoria.*

Quippe qui & hoſtem vincit, & animum ſuum: *quæ* vt Plato ait, *omnium optima & maxima eſt victoria*, ἑαυτὸν νικᾷν, inquit Plato, μεγίστη καὶ καλλίστη νίκη. Secundum quam ſententiam etiam Philto ille Senex pronunciat hoc apud Plautum: *Qui animum vincunt quam quos animus probiores ſemper cluent.* Et M. Cicero pro M. Marcello: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem, non modo extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum ſummis viris cõparo, ſed ſimillimum Deo iudico.* Sic & C. Iulius Cæſar de bello Alexandrino: *Nihil* inquit, *libentius facere debet Imperator, quã ſupplicibus ignoſcere.* Et Theodoſius II. Imperator amicis percunctantibus, cur neminem eorum, à quibus læſus foret, morti daret: *Vtinam*, inquit, *liceret mihi etiam vitæ reddere mortuos. Semper enim benefacere, & ſeipſum parui pendere, modeſti animi indicium eſt.* Sic nimirum;

*Effugere cupiditatem, regnum eſt vincere,*

vt Mimus habet. Neque vlla victoria illuſtrior eſſe poteſt, quam cum victus vincit, vincitur victor: Tam generoſum certamen quiſquis ſecum ipſe decertauerit, merito felix putandus eſt. Neque vero tam voce & ſermone, quam re ipſa & veritate expreſſit hoc Symbolum optimus atque humaniſſimus princeps, qui, vt Dion ſcribit, οὐδενὶ τραχὺς, οὐδὲ φορτικὸς, ἀλλὰ πρὸς ἅπαντας χρηστός τε ὢν ἦν, id eſt, *nemini vnquam in vita aſper, aut moleſtus, ſed erga omnes fuit beneficus & clemens.* Vnde merito & *Auguſtus*, & *Pius* à Senatu appellatus eſt. Neque

enim

enim ſolum ſeipſum, hoc eſt, iram & cupiditatem ſuam, verũ etiam benefactorem beneficiis vincere ſtuduit, quæ profecto duæ ſunt longe pulcherrimæ victoriæ. Sic enim Græcus ille vir ſapiens: Νίκαι, inquit, δύω κάλλισται, ἑαυτὸν, καὶ τὸν εὖ ποιοῦντα νικῆσαι. Et Xenophon honeſtius eſſe dicit regi beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem relinquere: τῷ βασιλεῖ, ait, κάλλιστόν ἐστι τὸ τῶν χαρίτων ἀπολιπεῖν, ἢ τροπαίων πλῆθος. Nam & turpius eſt Principi, liberalitate in beneficio, quam armis in prœlio ſuperari, vt ille arte. Sed & Anaxilaus rex hoc vnum regibus feliciſſimum euenire exiſtimabat, quod à nemine vinci poſſent beneficiis: cum nullum ſit certius felicitatis argumẽtum, quàm poſſe quam plurimos felices facere. Peruerſa enim magnitudinis & poteſtatis æſtimatio eſt, iniuriis vires metiri, quas fœdiſſimum eſt non repellere, cum poſſis: illud vero amplitudinis certum eſt teſtimonium, omnes beneficentia promereri. Prodeſſe interdum inimico pulchrum eſt; amicum vero in omnibus iuuare neceſſarium. Sic Martialis ad Domitianum Cæſarem ſcribens:

*---Eſto, inquit, tu Cæſar amicus:*
*Nulla ducis virtus pulchrior eſſe poteſt.*

Et Claudianus:

*Fallitur, egregio quisquis ſub principe credit*
*Seruitium: nunquam libertas gratior exſtat,*
*Quàm ſub rege pio.*

Quo pertinet etiam ſententia illa Ouidii de Ponto, lib. 2.

*Conueniens homini eſt, hominem ſeruare, voluptas:*
*Et melius nulla quæritur arte fauor.*

Et C. Plinii Secundi hæc libr. 2. cap. 6. *Deus eſt mortali mortalem iuuare: & hæc ad æternam gloriam via.* Cæterum cognata eſt huic Symbolo communis illa, & in iuris æquitatisque officina paſſim vſurpata ſententia: *Melius eſſe, mille dimittere nocentes, quam vnum punire innocentem.* Quam ſententiam re ipſa & facto comprobarunt ſummi illi Imperatores, Theodoſius, Arcadius, & Honorius, qui Rufino Præfecto prætorio ita reſcripſerunt: *Se nolle quenquam de populo ſubiici pœnæ, qui procacitate linguæ aut maledicto in ſe peccaſſet: Quoniam ſi opprobrium ex leuitate proceſſerit, negligendum: ſi ex furore aut inſania, condolendum: ſi denique ab iniuria, remittendum ſit.* Pertinet huc etiã pulchra illa Auguſtini ſententia: *Nec valde,* inquit, *gaudere debes cum laudaris: nec contriſtari, cum vituperaris: quia nec depra-*

*uari*

*uare iniuria, nec coronare poteſt laus aliena.* Item: *Neq; ſanctior es, ſi laudaris: neq; deterior, ſi vituperaris. Idipſum es, quod es, neq; maior dici potes, quam quantus Dei iudicio es. Si attendes, quid intus in animo ſis, non curabis, quid de te foris loquantur homines. Bonorũ gloria in ipſorum conſcientia, non in hominum ore ſita eſt. Denique breuis eſt gloria, quæ ab hominibus vel tribuitur, vel accipitur: humanamque adeo gloriam fere ſemper comitatur triſtitia & dolor.* De Antonino Pio ſic ſcribit C. Eraſmus Lætus in Cæſaribus Italicis:

*Symbolon ore gerit, magnus quod Scipio clarum*
*Romanis ſolitus dicere ſæpe fuit:*
*Vnum malle quidem bello ſeruare colonum:*
*Quàm ſeſe hoſtiles perdere mille viros.*

Item:

*Agrorum teſtatus opes ſe malle: feroci*
*Quàm bello dubios vincere poſſe viros.*

Item:

*Otia ſectanti minuiſſe ſalaria fertur:*
*Conantiq; nihil præmia danda negat:*
*Indignum referens, ſi arrodant publica, nulla*
*Publica qui prorſus commoditate iuuent.*

## SYMBOLVM XIIX.

### M. AVRELII ANTONINI PHILOSOPHI.

*REGNI CLEMENTIA CVSTOS.*

*Ceu mundi ſic eſt,* Regni Clementia Cvstos:
*Nec virtus maior Principis eſſe poteſt.*

### ALIVD.

*CONSVLENDVM ET PARENDVM CONSILIO.*

[Golz. *Æquius eſt, me tot & talium amicorum conſilium, quam tot tales meam vnius voluntatem ſequi.*

*Conſilio quicumque ſuo ſapit, haud ſapit ille:*
*Conſilio alterius qui ſapit, ille ſapit.*

M. Aurelius Antoninus Philoſophus, vt Princeps per omnia moderatiſſimus, ita Imperator fuit fortiſſimus, qui præter alia hoc quoque tulit elogium: quod Dion & Suidas refert: ὅτι ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο: καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθη: ἀληθῶς ἀγαθὸς ἀνὴρ ὤν, καὶ οὐδὲν προσποίητον ἔχων: *quod ſui ſemper ſimilis in omnibus fuerit: neq; vlla in re vnquam variabilis aut mutabilis: reuera bonus vir, nec quicquam habens ſimulati.* Is vero tantus & tam prudens Imperator, nec imbecillis rebus nec in ciuilibus negotiis, quicquam agere ſolitus fuit ſine conſilio Senatus & Iuriſperitorum. Quam ob cauſam reprehenſus à quopiam, quod nimio plus tribueret amicorum conſiliis: QVANTO, inquit, ÆQVIVS EST, ME TOT ET TALIVM AMICORVM SEQVI CONSILIA: QVAM TOT ET TALES AMICOS OMNES MEAM VNIVS SEQVI VOLVNTATEM. Sentiens nimirum eum, qui de ſua vnius ſententia omnia gerit, ſuperbum magis, quam ſapientem iudicandum eſſe: vt verè omnino, & grauiter hoc dixit T. Liuius lib. 4. Dec. 5. Nam, vt Plautus ait in Milite: *Nemo ſolus ſapit.* Et, vt Creon apud Euripidem in Phœniſſis: εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ: *Vnus vir non videt omnia.* Plus enim vident oculi, quam oculus. *Sibi* vero *placere, infœlix eſt inſania,* vt Sophocles docet in Antigona. Quippe quæ arrogantia eſt, quam Sotades recte nominat *hinnitũ ſtultitiæ.* Quo fit, vt ſapientibus & fidis conſiliariis nihil quicquã fit vtilius ipſis regib. aut princip. b. Quod Cyrus ille Xenophõteus filium admonet Cambyſen: Οὐ τόδε, inquit, χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν: ἀλλ᾽ οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον. *Minime ſceptrum aureum id, quo regnum conſeruatur, ſed amicorum cõpia regni ſceptrum eſt & veriſſimum, & tutiſſimum.* Et Iſocrates ad Nicoclem: Σύμβουλος ἀγαθὸς χρησιμώτατον καὶ τυραννικώτατον ἁπάντων κτημάτων ἐστίν: *Bonus conſiliarius vtiliſſima & regi conuenientiſſima omnium eſt poſſeſſio.* Cui reſpondet Cornelii Taciti illud li. 20. *Nullum maius boni imperii inſtrumentum eſt, quam bonus amicus.* Et Saluſtii hoc in bello Iug. *Non exercitus, neque theſauri præſidia regni ſunt: verum amici, quos neq; armis cogere, neq; auro probare queas; officio & fide probantur.* Quod votum illud comprobat Darij Hyſtaſpis regis Perſarum, qui cum in manu haberet pomum Punicum: nihil ſe magis optare faſſus eſt: quam vt tot Zopyros haberet,

quot

quot grana haberet pomum iſtud Punicum. Quemadmodum & Agamemnon apud Homerum decem Neſtores optat, quorum ſi habeat copiam, Troiam facile expugnari poſſe ſperat. Quod etiam laudi datur Alexandro Seuero Imp. qui nihil vnquam rei maioris decernere ſolitus fuit ſine XII. aut, vt quibuſdam placet, XX Iuriſperitis, in quorum numero Vlpianus & multi alij diſciplinæ huius illis temporib. principes fuerũt. Sed & aliud eiuſdem Cæſaris Symbolum à quibuſdam refertur: NIHIL MAGIS COMMENDARE IMPERATOREM ROMANVM GENTIBVS, QVAM CLEMENTIAM. Quemadmodum Dion quoque verba eiuſdem hæc refert: μάλιστα μὲν ἐκεῖνοι εἰς ἀρχῆς μῆκος ἀκινδύνως ἤλασαν: ὅσοι μὴ φόβον ἐξ ὠμότητος ταῖς τῶν ἀρχομένων ψυχαῖς ἐνέσταξαν. *Qui non tam metum ex crudelitate, quam amorem ex bonitate, animis ſubditorum indiderunt: hi maxime abſq; periculo ad ſummum regni decus & faſtigium peruenerunt. Plane* enim *nouum imperium inchoantibus, vtilis eſt fama clementiæ,* vt vult Tacitus; adeoq; ſecundum Lucanum:

*——mitiſſima ſors eſt,*
*Regnorum ſub rege nouo.*

Quæ clementiæ laus Principi perpetuò ſeruanda eſt: neque vel indulgentia fortunæ, vel prauis magiſtris, vt fit, in crudelitatem, vel ẽt diuturnitate in ſuperbiam mutanda: ne fortuna quoq; eius poſtea cum moribus immutetur. nam &, teſte Saluſtio, *imperium iiſdem artib. facilime retinetur, quibus initio partum eſt.* Præclare etiam apud eũdem Appius: *Equidem,* inquit, *cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna, arbitror: neq; quenquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat:* Eam vitam bellum æternum & anceps gerere: quoniam neq; aduerſus, neq; à tergo, aut lateribus tutus ſis: ſemper in periculo aut metu agites. Contra, qui benignitate & clementia imperium temperauere: his læta & candida omnia viſa, etiam hoſtes æquiores, quam alii ciues. Sic nimirum verum eſt, quod Seneca ſcribit in Octauia:

*Magnum timoris remedium clementia.*

Nam vt omnibus odio eſt crudelitas, & ſæuitia: ita amori pietas & clementia. Hinc Diocletianus Imperator interrogatus: quænam eſſet potiſſima dos in Principe; reſpondit, *liberalitas & clementia.* Plane enim moderatorem populorum oportet *cum iuſtitiæ aculeo mel clementiæ habere commixtum*, vt ille loquitur. Ex quo recte à Claudiano MVNDI CLEMENTIA

CVSTOS nominatur. Cuius de eadem virtute pulcherrimum hoc extat præceptum in Panegyrico Honorii quarto:

*Sis pius inprimis, nam quum vincamur in omni*
*Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.*

Quam ſententiam Poeta mutuatus eſſe videtur ex M. Tullio Cicerone, qui pro Q. Ligario ſcribit: *Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando.* Et lib. 1. Offic. *Nihil eſt laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate & clementia.* Sic Terent in Adelphis: *Facilitate nihil homini melius aut clementia.* Et Seneca; *Omnibus hominib. neceſſaria eſt clementia: maxime aũt decora Imperatoribus.* Et alibi. *Clementia non tantum honeſtiores, ſed tutiores præſtat: ornamentumq́ imperiorum eſt ſimul & certiſſima ſalus.* Nimirum clementis iuſtitiæ præceptum hoc Princeps habere debet, de quo eſt apud Tacitum, *vt ſtudeat omnia ſcire, non omnia reſequi: paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem cõmodare: nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentum eſſe.* Cæterum quam clemens is fuerit & placabilis princeps, ſatis hoc declarat exemplum Caſſii: quẽ hoſtem ſibi factum occidi paſſus eſt, non iuſſit occidi: occiſum autem poſtea doluit vehementer: cũ ſubinde diceret, *voluiſſe ſe imperata ſine ſanguine Imperatorio.* Sed & idẽ Antoninus Imperator fertur in ore frequenter habuiſſe Platonis illud dictũ: *Tunc florent Reſpublicæ, quando vel Philoſophus regit, vel Rex philoſophatur:* Ex quo etiam Philoſophi cognomentum accepit. Græca verba hæc ſunt apud Plat. in Dialogo V. de Republ. ſiue de Iuſto: ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν καὶ δυνάσται λεγόμενοι φιλοσοφήσωσιν, οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν. Sic Ariſt. li. 2. Rhet. *Vbi præſes eſt philoſophus, ibi fœlix eſt ciuitas.* Et Muſonius, μὴ οἴου ἄλλῳ τινὶ μᾶλλον προσήκειν φιλοσοφεῖν ἢ τῷ βασιλεῖ· μηδ᾽ ἄλλου τοῦ χάριν μᾶλλον, ἢ ὅτι βασιλεὺς τυγχάνεις ὤν, δεῖ μὲν γὰρ δήπου δύνασθαι τὸν βασιλέα σώζειν ἀνθρώπους, καὶ εὐεργετεῖν· τὸν δὲ γε σώσοντα, καὶ εὐεργετήσοντα χρὴ ἐπίστασθαι, τί μὲν ἀγαθὸν ἀνθρώπῳ, τί δὲ κακόν· καὶ τί μὲν ὠφέλιμον, τί δὲ βλαβερόν, καὶ συμφέρον γε, καὶ ἀσύμφορον. *Ne tibi perſuadeas cuiquam eſſe magis, quam regi, philoſophandum: neq́ id ob aliam cauſam magis, quam quia rex eſt. Siquidem regis eſt, poſſe homines conſeruare, & beneficiis afficere: quod qui facturus eſt, eum neceſſe eſt, ſcire, quid homini bonum, aut malum ſit, quid commodum, aut incommodum, quid vtile aut inutile.* Sed & ſimile extat dictum apud Siracid c. 10. *Cum potentes ſapiunt, florent vrbes: vbi prudens magiſtratus eſt, ibi omnia ſuo ordine procedunt.*

SYM-

## *SYMBOLVM XIX.*
## L. VERI.

### *NIL OBITER.*

[Golz. *Non decet Imperatorem præpropere quicquam agere.*]

NIL OBITER: *ſed quicquid agit, cunctanter id omne*
*Cæſar agat: ſapiens cor mora nempe facit.*

M*Ora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam*, inquit Mimus ille Publianus. Cui ſuffragatur Symbolum hoc: NIL OBITER, id eſt, præter rem aut propoſitum; &, vt Græci loquuntur, μηδὲν ἐν παρόδῳ: vel, quod idem eſt, ἐν παρέργῳ: Quod à Dione his verbis refertur: μηδὲν χρὴ στρατηγὸν ἄνδρα αὐτοσχεδιάζοντα πράττειν: *Nihil decet Imperatorem obiter facere.* Monens nimirũ illud, excitandam eſſe animaduerſionem & diligentiam; vt nequid temere negligenterque agat princeps: ſed ad res conſiderandas vel maxime in imperio adhibeat & tempus & diligentiam: *ne vlla cauendi occaſio dimittatur*, ſecundum Publium; πέλας γὰρ ὅ,τι σπουδάζεται. hoc eſt, *præſto eſt, quodcunque ſedulo agitur*, vt Euripides ſcribit in Supplicib. Et, ſecundum Varronem, *Dÿ facientes adiuuant.* Nam vt *nullus conſiliarius melior eſt tempore*, ſecundum Nazianzenum, qui ait:

σύμβουλος οὐδείς ἐστι βελτίων χρόνου:

Ita me hercule *diligentia* (quo verbo omnia, quæ ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, labore complectimur) *cum in omnibus rebus, tum maxime in Repub. adminiſtranda plurimum valet: hæc præcipue colenda eſt omnibus: hæc ſemper adhibenda, hæc nihil eſt, quod non aſſequatur*, auctore Tullio: ἡ γὰρ εὐλάβεια σώζει πάντα, vt Ariſtophanes vult. Et, vt Antiphanes:

τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται.
*Subiecta fiunt omnia diligentiæ.*

Sic verum eſt, quod Sophocles ſcribit in Oedipò:

Φρονεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς, οὐκ ἀσφαλεῖς:
*Quisquis ſapit celeriter, non tuto ſapit.*

Nam, vt Publius habet:

*Aſpicere oportet, quod poſſis deperdere.*

Et, vt Liuius Andronicus monet, *vſq; quaq; ſapere oportet: id erit telum acerrimum*. Sic nimirum fit, vt teſte Publio:

*Bene excogitata ſi excidunt, non occidant.*

Nam *perinde ſunt res omnes, vt agas, & vt eas magnifacias*, ſecũdum Comicum in Pſeudolo. Et in Perſa:

*Si quam rem accures ſobrie ac frugaliter;*
*Solet illa recte ſub manus ſuccedere.*
*Atque ædepol, ferme vt quiſque rem accurat ſuam,*
*Sic ei procedit: poſt principia denique ſi malus,*
*Aut nequam eſt, male res vortunt, quas agit:*
*Sin autem frugi eſt, eueniunt frugaliter.*

Simile eſt huic Symbolo etiam Hippocrateum illud Medicorum:

μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν παροράν.

---

## SYMBOLVM XX.

## L. AVRELII COMMODI.

---

### PEDETENTIM.
### PAVLATIM.

---

[Golz. *Ab incolumi, quamuis paulatim, negotia perfici poſſunt: à mortuo nihil.*]

*Qui ſoſpes eſt, pedetentim, quod gerit, gerit:*
*Qui mortuus, fruſtra gerit negotium.*

QVo Symbolo profeſſus eſt L. Aurelius Commodus Imperator: A SOSPITE NEGOTIVM PAVLATIM, A MORTVO FRVSTRA GERI; hoc ipſum quoque vita, & moribus exprimere voluiſſe videtur: cum in imperio non modo PAVLATIM omnia; ſed incommode ageret; nemini commodus; at incommodus omnibus, in iis procurandis, quæ ad Rempub. pertinent, vt mortuus potius, quã ſoſpes, cenſendus foret. Ceteroquin in rebus turpibus ac facinoroſis ſcurra magis aut gladiator commodus: quam princeps aut imperator: licet is apud Senatum populumque Romanum res imperij & totius orbis terrarum; magnæ ſemper ſibi curæ fore ſancte

receperit: patre iam defuncto, & Deo cœlite facto: ὁ μὲν πατὴρ, inquit, εἰς οὐρανὸν ἀναπτὰς, ὅπαδὸς ἤδη καὶ σύνεδρός ἐστι θεῶν: ἡμῖν δὲ χρὴ μέλλειν τῶν ἐν ἀνθρώποις καὶ τὰ ἐπὶ γῆς διοικεῖν. Sed & idem Cæſar morbo aliquando oppreſſus dixiſſe fertur: *principem ſanum mori debere, non infirmum*: quod pleroſque ante ſe Imperatores violẽta, non ſua morte obiiſſe intelligeret: quam & ipſam mortem, vt breuem ſimul atq; inexſpectatam, C. Iulius Cæſar optauit & obtinuit: vt ſcribit Suetonius in Iulio. Cæterum, vt ad Symbolum reuertar, rectius profecto, meo quidem iudicio, dixit Oreſtes apud Euripidem: *cunctationem ſimilem eſſe fruſtrationi*: τὸ μέλλον, inquit, ἴσον ἀπραξία. Quippe *qua* vt Plautus loquitur in Aſinaria, *hominis ſalus fruſtratur & fortuna*. Et Tacitus li. 6. Annal. *Barbaris cunctatio ſeruilis: ſtatim exequi regium videtur*. Quod & Democritus teſtatur: cũ ait, τὸ ἀεὶ μέλλειν, ἀτελέας ποιεῖν τὰς πρήξιας, quaſi dicat, *procraſtinatione nullas res peragi*. Neq; enim *ſemper mora eſt tuta, ſed interdum fit cunctatio diſpendioſa*, vt Columella ſcribit: Et, vt Fabius, plerunque ſera pro nullis ſunt. Sic Manilius: *Mora ſæpe malorum Dat cauſas*. Et Iulius Cæſar apud Lucanum:

*Tolle moras: ſemper nocuit differre paratis.*

Nam verum eſt Vegetii illud: qui in rebus bellicis celeritatem ampliorem prodeſſe ſolere, quam virtutem, dicit. Vnde cum Pompeius aciem inſtructam apud Pharſalum inibi conſiſtere, & hoſtem operiri iuſſiſſet: Cæſar dixit illum erraſſe: qui vim & impetum animorum, ad incurſionem paratorum, mora relaxaſſet. Nam &, eodem Cæſare auctore, Expectare, dum hoſtium copiæ augeantur, equitatuſq; reuertatur ſummæ demẽtiæ eſt. Maxime vero in diſcordiis ciuilib. nihil eſt feſtinatione tutius: vbi facto magis, quam conſulto opus eſt: vt Cornelius Tacitus vult. Sed & notum eſt Accii illud apud Nonium:

*Multa plerunque amitti tarditie & ſocordia.*

Et Naſonis hoc:

*Tu propera, nec te venturas differ in horas:*
*Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.*

Sed hæc quidem omnia de feſtinatione prudenti & conſulta intelligi oportet: aliud vero eſt, ſi improuida aut inconſulta ſit feſtinatio. Nam, vt Aquilo initio vehemens, poſtea deſinit lenior: & Auſter initio lenior, deſinit vehementior: Ita qui præcipites magno impetu rem aggrediuntur, frigeſcunt progreſſu temporis: qui vero negotia conſilio ſuſcipiũt magis ac magis indies inflammantur, nec quidquam actum credunt, cum

 quid

quid ſupereſt agendum. Ex quo recte Publius:

*Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam:*

ne ſcilicet quid agamus temere aut inconſulto: Siquidem mora eiuſmodi in apparando aut conſultando non diſpendiũ eſt, ſed lucrum ad negocium cito conficiendum, eodem teſte Publio:

*Diu apparandum eſt bellum, vt vincas celerius.*

---

## SYMBOLVM XXI.

## P. HELVII PERTINACIS.

---

### MILITEMVS.

---

[Golz. *Sanctius eſt inopem Rempub. obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per diſcriminum atque dedecorum veſtigia peruenire.*

*Si pœna petitur, quæ peti grauior poteſt,*
*Quam ſeruitus? ſic* MILITEMVS *ſtrenui:*
*In ſeruitutem cadere de regno graue eſt.*
*Acerba namque homini eſt ingenuo ſeruitus;*
*Iucunda ſi libertas forſan eſt minus.*

FAmiliare P. Heluio Pertinaci Cæſari dicterium hoc fuit: NON PERINDE GRATAM ESSE HOMINIBVS LIBERTATEM, QVAM MOLESTAM SERVITVTEM. Quod Græce ita ſonat μὴ ὁμοίως ἐφραίνει ἐλευθερία, ὡς λυπεῖ δουλεία. Sed M. T. Cicero in Officiis paulo hoc aliter dixit: *Acriores*, inquit, *ſunt morſus intermiſſæ libertatis, quam retentæ.* Significans nimirum hoc, acrius deſiderari libertatem ad tempus amiſſam: perinde vt cibi magis delectant ii, quibus diu non vſus fueris. Itaque vt à Reipublicæ corpore iugum acerbiſſimum repelleret ſeruitutis, aſcitus ad imperium, Symbolum hoc dedit Militum Tribuno; MILITEMVS, ſentiens ille, populum Romanum ſeruire fas non eſſe: *quem dij immortales*, vt cum Tullio loquar, *omnibus gentibus imperare voluerint:* & cuius propria & quaſi peculiaris ſit libertas: eamque ob cauſam nullum omnino caſum p olibertate eius & dignitate patriæ Imperatori non ferendum eſſe, ac cum quiduis potius facere, & vel in bello emori oportere, quam ſeruire, aut

In ſeruitute viuere. *Mors*, enim, vt Cicero docet, *ſeruituti anteponenda eſt: qua nihil eſt fœdius aut miſerius: cum ad decus, & libertatem nati ſimus: quam aut tenere, aut cum libertate mori debemus*, vt eſt in Philip. 3. Et in Philip. 2. *Pax eſt tranquilla libertas, ſeruitus poſtremum malorum omnium, non modo bello, ſed morte etiam repellendum*. Et Phil. 10. *Ita præclara eſt recuperatio libertatis, vt ne mors quidẽ ſit in repetenda libertate fugienda.* Cui reſpondet Plautinum illud in Amphitryone:

*Omni malo & omni exitio peior ſeruitus,*
*Quem Iupiter odit, ſeruum hunc primum facit.*

Itemque hoc Salluſtianum: Potior periculoſa libertas quieto ſeruitio: Et alterũ illud. Libertas iuxta bonis & malis, ſtrenuis & ignauis optabilis eſt, quam nemo bonus, niſi cum anima ſimul amittit. Sic Paulus IC. Libertas, inquit, eſt res inæſtimabilis. Et Seneca in Epiſt. 105. Non põt paruo conſtare libertas, hanc ſi magno æſtimas, omnia paruo æſtimanda ſunt. Et epiſt. 76. Inæſtimabile bonum eſt, ſuũ fieri. Sic & Cæſar de bel. Gal. lib. 2. Omnes homines natura ſtudent libertati, & conditionem ſeruitutis oderunt. Et Q. Curtius li. 6. Liberis pretiũ ſeruitutis ingratum eſt. Et Xenophõ li. 4. de reb. geſtis Græcorũ: Liberum eſſe equidem cunctis rebus anteferendum arbitror. Porro natura fit, vt multo magis homines fugiant mala, quam ſequantur bona. Nam neq; tam honeſta expetunt, quam deuitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriã, quis laudem, quis vllum decus tam vnquam expetat: quam vt ignominiã, infamiam, cõtumeliam, dedecus fugiat; quarum rerum dolor grauis eſt? Cauſa eſt, ſecundum Tullium, *quod hominum genus quidem ad honeſtatem natum eſt, ſed malo cultu prauiſque opinionibus corruptum*. Quo fit, vt honeſtatem oẽs intueri non poſſint, ſi præſertim ab ea longiſſime moribus & vita & ſtudiis deflexerint. Sed & carendo homines magis, quam fruendo, intelligunt bona ſua, Nam &, ſecundum Flaccum,

*Virtutem incolumem odimus:*
*Sublatam ex oculis quærimus inuidi.*

Et, vt Plautus ait in Captiuis:

*Tum denique omnes noſtra intelligimus bona:*
*Cum qua in poteſtate habuimus, ea amiſimus.*

Sic Auguſtinus: *Non ſic ſapit lucrum, quam dolet damnum. Sic & grauitas morbi facit, vt medicina egeamus: eaque nũc appareat: cuius vim non ſentiebamus, cũ valebamus*, auctore Cicerone in epiſt. famil. lib. 9.

## SYMBOLVM XXII. M. DIDII IVLIANI.

### *IN PRECIO PRECIVM.*

[Golz. *Etſi alterum pedem in ſepulchro haberem, adhuc addiſcere vellem.*]

IN PRECIO PRECIVM *eſt: Sic non virtute poteſtas*
*Sæpius, at precio venit, & ære fides.*

M. Didius Iulianus cum homo eſſet pecunioſiſſimus: primus à militibus imperium Romanum merca:us fuiſſe ſcribitur: licitante contra eum Sulpitiano intra caſtra, ſed eo rurſus pollicente: OMNIA SE DATVRVM, QVÆ VELLENT. Πάντα, inquit, δώσω ὅσα βούλεται πάμπλειςα γὰρ χρήματα, ἐ θησαυροῦς χρυσοῦ καὶ ἀργύρου πεπληρωμένους ἔχω: vt auctor eſt Herodianus. Neque aliud vllum eius apophthegma legitur *Pecuniæ obedire omnia* dixit: & IN PRECIO PRECIVM eſſe, quod, qui in numerato non habet, in precio non eſt. Nam, vt Flaccus canit,

*Virtus, fama, decus, diuina humanaque pulchris*
*Diuitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille*
*Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, bonus, & rex:*
*Et quicquid volet.*

Et Polynices, tyrannidis affectator, apud Senecam in Thebaide:

*Imperia precio quolibet conſtant bene.*

Sic & Dion lib. 41. duo eſſe dicit, quæ principatus comparent, ſeruen:, augeant: Milites & pecuniam. Sed & in genere, ſecundum Saluſtium, omnia cum precio honeſta: vbi diuitiæ caræ habentur: ibi omnia bona ſunt vitia, fides, probitas, pudor, pudicitia. Nam &, ſecundum Tacitum, Aurum & opes præcipuæ ſunt bellorum cauſæ. Hinc Ariſtophanes in Pluto:

Ἢ τί γ' ἐςὶ λαμπρὸν καὶ καλὸν,
Ἢ χαρίεν ἀνθρώποισι διὰ σὲ γίνεται.
Ἅπαντα: τῷ πλουτεῖν γὰρ ἐσθ' ὑπήκοα:
*Si quid eximium eſt, aut ſplendidum,*
*Si quid venuſtum, hominibus abs, ie vna venit.*

PE-

PECVNIA: *nam pecuniæ omnia obediunt.* Et pulchre Paulus Æmilius: Nullum acrius, quam rei nummariæ, telum, reperiri poteſt.

Quo pertinet Naſonis illud in Faſtis:

IN PRECIO PRECIVM *nunc eſt: dat cenſus honores,*
*Cenſus amicitias: pauper vbiq; iacet.*

Et lib. 2. de Arte:

*Aurea nunc vere ſunt ſecula: plurimus auro*
*Venit honos: auro conciliatur amor.*

Quanquam ſi recte conſiderare, & recte iudicare volumus:

*Non vi, non nummis,* EMITVR VIRTVTE POTESTAS,
*Et ſancta melius longa tenaxq; fide.*

Vt in Didio Iuliano olim ſcripſimus. Male enim, imo peſſime ſe res habet, cum id, quod virtute effici debet, tentatur pecunia, teſte Tullio in offic. quæ maxima hominum pernicies Saluſtio vocatur. Quanto certius Impp. Theodoſius & Valentinianus in Cod. reſcripſerunt, ad prouincias regendas accedere debere eiuſmodi viros, qui ad honoris inſignia, nō ambitione vel precio, ſed probatæ vitæ & doctrinæ ac virtutis teſtimonio promoueri merentur. Cæterum pecuniæ tyrannidem pulchre admodum & eleganter deſcribit Euripides in Bellerophonte, ex quo poſtremos hos verſus ita cōuertit M. Cic. teſte Seneca:

*Pecunia ingens generis humani bonum:*
*Cui non voluptas matris, aut blandæ poteſt*
*Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens.*

---

## SYMBOLVM XXIII.

## C. PESCENNII NIGRI.

---

PLACERE VIVVS
LAVDARI MORTVVS
VOLO.

---

[Golz. *Viuentes laudari irriſio eſt, maxime ipſius Imperatoris. Ego viuus placere volo, mortuus etiam laudari.*]

*Si viuos laudare vetat pudor; ipſe* PLACERE
VIVVS, LAVDARI MORTVVS *inde* VOLO.

C. Peſcennius Niger in Syria ab exercitu Imperator appellatus, cuidam panegyricum ſibi de laudibus, & reb. ſuis geſtis recitanti; *Scribe*, inquit, *Marij laudes, aut Annibalis, aut alterius cuiuſpiam ducis egregii, ſed vita defuncti, quem nos imitemur.* τὸ γὰρ ζῶντας ἐγκωμιάζειν καταγέλως ἐστι, μάλιστα δὲ τοὺς αὐτοκράτορας. Ego vero PLACERE VIVVS, MORTVVS ETIAM LAVDARI VOLO Pulchre hoc ille, & omnino vere, cum non facile quis eſſe poſſit laudator, ne videatur adulator, qui plerunque non tam arriſor eſt, quam arroſor, vt Seneca dixit: præſertim vero principum aut Imperatorum, à quibus vel ſperatur aliquid, vel timetur, & ad quorum non modo ſenſum ac voluntatem, ſed etiam vultum nutumque omnis conuertenda eſt oratio. *Semper* enim *fortunæ magnæ comes eſt adulatio*, auctore C. Velleio Paterculo: Quo fit vt ea perpetuum ſit malum regum, *quorum opes ſæpius aſſentatio euertit, quam hoſtis*, vt notat Q. Curtius: Quippe *perpetua vitiorum altrix*, teſte Ammiano Marcellino: *Quæ plurimum veritati officit: ex qua etiam princeps bonus, ſi indulgeatur, plerunque fit tyrannus*, auctore Dionyſio. Sed vitium quidem hoc regno familiare eſt, & plura ſæpe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus. Nam, vt Xenophon ſcribit in Hierone, οὐδεὶς ἐθέλει τυράννου κατ' ὀφθαλμοὺς κατηγορεῖν, hoc eſt, nemo facile tyrannum vituperat coram: quoniam non eſt ſatis tutum, in eos ſcribere, qui poſſunt proſcribere, quod exemplo M. Tullii, & Aſinii Pollionis, & M. Lucani, & aliorum ſatis compertum eſt. Ex quo recte Plutarchus dixit: principum miſeriam non poſtremam eſſe, vt ne in morte quidem careant aſſentatoribus. Quo accedit illud, quod, vt Naſo canit,

*Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit:*
*Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honos.*

Nam & ſecundum Propertium:

*Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas:*
*Maius ab exequiis nomen in ora venit.*

Sed & *poſt mortem incorruptius plerunque de alterius virtute iudicatur: cum & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine inuidia iudicatur*: vt teſtis eſt M. Tullius Cicero. *Neque* enim *mortuorum laudi & gloriæ facile quiſquam inuidet*, auctore Thucydide: &, vt idem ait, *viuentes inuidia exercet: mortuis a. beneuolentia ſine obtrectatione præſtatur.* Vnde Pindarus in Pythiis: ὀπιθόμβροτον, inqt, αὔχημα δόξας οἶον ἀποιχομένων ἀνδρῶν δίαιταν μανύει, καὶ λογίοις, καὶ ἀοιδοῖς: *Laus & gloria à tergo ſequẽs mortales*

*ſola*

*ſola heroum mortuorum vitam indicat, & oratione, & carmine. Sequi* igitur *gloria, non appeti debet*, vt C. Plinius ſcribit libro 1. epiſt. Nam, vt vetus verbum habet: *gloria eſt crocodilus*: quam qui fugit, aſſequitur: quæ alias aſſectatores ſui effugit. Ex quo D. Hieronymus; *Fugiendo*, inquit, *vanam gloriam, meretur homo veram gloriam, quæ virtutem quaſi vmbra ſequitur: & appetitores ſuos deſerens, appetit ſui contemptores.* Cuius rei illuſtre exemplum proponit Saluſtius de Catone; qui quo minus gloriā petebat, hoc eam magis aſſequebatur. Rectè n Liuius; *Spreta in tempore gloria interdum redit cumulatior.* Enimuero poſt mortē & obitum demum heroum laudes publice decantari & celebrari, plurimum prodeſt. Nam & ſecundum Ouidium; *Carmine fit viuax virtus*; &, vt idem poeta ait, *nō paruas animæ dat gloria vires: quæ*, vt Silius dixit, *fax eſt mentis honeſtæ.* Quo fit, vt & laudata ſic virtus creſcat, & optimi cuiuſque animum gloriæ ſtimulis concitet; vt æmulus eſſe cupiat, atq; imitator ſtudiorum ac laborum pulcherrimorum, quorum comes eſt laus & gloria ſempiterna. Notum eſt enim poetæ eiuſdem illud; *Immenſum gloria calcar habet.* Et Saluſtii hoc; *Gloria induſtria alitur.* Et Plinii illud in epiſtolis; *Laudare eſt acerrimus ſtimulus mouendi.* Sic Cicero Tuſc. 1. *Honos alit artes: omneſque incendimur ad ſtudia gloria: iacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur.* Et Auguſtinus; *Bonum laudare, non tam laudato, quam laudantibus prodeſt.* Sic apud Athenienſes dicerto cuipiam oratori ex Plebiſcito mandabatur, vt bene de Republ. meritos ciues, fato defunctos pro concione laudaret. Quo nō modo id conſequebantur, vt beneficiorum memores & grati in mortuos eſſent, ſed vt alios ciues ſuos gloriæ dulcedine, qua optimi quique facilime capiuntur, à voluptatib. ad ſalutaria patriæ conſilia traducerent: & ad res fortiter animoſeque gerendas inuitarent. Quem finem etiam laudationum C. Peſcennius Imperator perſpexit: & hoc veluti Symbolo expreſſit, cum futurum putaret, vt laudatione eorum poſt mortem, quorum omnis vita conſumpta eſt in laboribus glorioſis, ad virtutem, & honeſtatem quam plurimi excitarentur, vel potius incitarentur. Cæterum placet mihi Simonidis illud apud Xenophontē in Hierone; qui *laudes eas multo iucundiſſimas eſſe* dicit: *quæ allatæ ſunt ab his, qui quam maxime liberi ſunt*: συγχωρῶ, inquit, τοὺς ἐπαίνους παρὰ τῶν ἐλευθεριωτάτων ἡδίστους εἶναι.

## SYMBOLVM XXIV.
## L. SEPTIMII SEVERI.

### *LABOREMVS.*

[Golz. *Turbatam Rempub. vbique accepi; pacatam etiam Britannis relinquo.* πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ:
*Pace* LABOREMVS. *Pax fida miniſtra laboris:*
*Pax Cererem nutrit: pacis alumna Ceres.*

CVm Pub. Heluius Pertinax Imperator factus, Militum Tribuno Symbolum dediſſet, MILITEMVS: L. Septimius Seuerus, ei poſtea in imperio ſuccedens, dari iuſſit aliud: LABOREMVS. Illi placuit omen belli, huic pacis. Pacis enim gratiâ omne ſuſcipitur bellũ, vt in ea ſine iniuria cuiuſquam viuatur: qua ſublata, nec leges, nec iudicia eſſe poſſunt: nec vlla omnino commercia hominum, aut artificia exerceri. Itaq; *dulce eſt nomen pacis: res vero ipſa tum iucunda, tum ſalutaris; quæ non modo ij, quibus ſenſum natura dedit, ſed etiam tecta atq; agri lætari videntur:* vt M. Cicero ſcribit de leg. Agr. ad populum contra Rullum. Hæc nimirum eſt amabilis illa & perhumana Dea, *quæ*, ſecũdum Philemonem, *nuptias, feſta, cognatos, liberos, amicos, diuitias ſanitatem, annonam, vinum, omnem deniq; voluptatem parit hominibus.* Sic enim ait in Pyrrho:

ἡ ἐπαφρόδιτος, καὶ φιλάνθρωπος θεά.
γάμους, ἑορτὰς, συγγενεῖς, παῖδας, φίλους.
πλοῦτον, ὑγίειαν, σῖτον, οἶνον: ἡδονήν,
εἰρήνη παρέχει. ταῦτα πάντ᾽ ἂν ἐκλίπῃ,
τέθνηκε κοινῇ πᾶς ὁ τῶν ζώντων βίος.

Ex quo recte ab Ariſtophane in Pace ea βαθύπλουτος, καὶ βοτρυόδωρος, καὶ μυελαμφόρος appellatur. Quo etiam referendum eſt Bacchylidæ apud Stobæum elogium pulcherrimum in Sermone 83. At enim nihil eſt miſerius aut pernicioſius bello, præſertim ciuili.

*Quippe vbi fas verſum, atq; nefas: tot bella per orbem:*
*Tam multæ ſcelerum facies: non vllus aratro*
*Dignus honos: ſqualent abductis arua colonis,*
*Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem:*

vt Maro canit in Georgicis. Sic nimirum *ſilent leges inter arma:* & , vt Naſo ait, *cedit viribus æquum;* quando *ius eſt in armis,* vt Cæſar dixit. Quemadmodum & Marius in bello contra Cimbros geſto; cum mille Cameꝛtes ciuitate donaſſet: reprehenſus à quibuſdam, quod contra leges patriæ feciſſet: reſpõdit, *ſe inter armorum ſtrepitus, & claſſicorum cantus, legum vocem audire non potuiſſe.* Placet itaq; Maronianum illud;

*Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.*

Et Silii hoc alterum;

*——Pax optima rerum,*
*Quas homini noviſſe datum eſt; pax vna triumphis*
*Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem,*
*Et ciues æquare potens ——*

Sic Polybius; *Pax, ſi iuſta & honeſta ſit, res eſt certe omnium rerum pulcherrima atque optima.* Et Liuius; *Melior tutiorque eſt certa pax, quam ſperata victoria.* Et Auguſtinus; *Pax maximum homini bonum: bellum maximum eſt malum.* Quo etiam pertinet Crœſi illa oratio apud Herodotum in Clione; qui Cyro ſe excuſans ob bellum temere ſuſceptum, & in Deum culpam conferens: οὐδεὶς,, inquit, οὕτως ἀνόητός ἐστιν, ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται: ἐν μὲν γὰρ τῇ οἱ παῖδες τοὺς πατέρας θάπτουσιν: ἐν δὲ τῷ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας. *Nemo tam imprudens eſt, qui bellum præferat paci: quippe in hac liberi parentes, in illo parentes ſepeliunt liberos.* Sed nec alienum me facere arbitror, ſi huc aſcribam Emblema noſtrum de Pace, cuius veluti icon eſt & imago.

*Quæ Dea? Pax, olea cur cingis fronde capillos?*
*Pacis Concordia nutrix:*
*Quem gremio puerum fert? Plutum, cur age? nempe*
*Pax mater opum veneranda,*
*Quæ comes hæc, ſpicas manibus quæ geſtat & vuas?*
*Agricultura, quid illa?*
*Fida comes Pacis ſoror hæc & filia quare?*
*Pax rerum eſt optima proma;*
*Quas ratio victus, & vita poſtulat vſus.*
*Quid? Pax cum frugibus vuas*
*Diues alit, pomiſq; replet felicibus hortos:*
*Pax bello præſtat & armis.*
*Cur thalamos & feſta colit, citharasque, chorosque;*
*Muſarum mitis alumna.*
*Sis bona Diua precor; Pacem te poſcimus omnes:*
*Pax cuſtos vna ſalutis.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0065-1

Cæterum Seueri Imperatoris (de quo Senatus ſic iudicauit; aut naſci eum, aut certe mori non debuiſſe) celebratur illud quoque apophthegma, πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ: *Omnia fui, nihil tamen mihi expedit* Et alterum illud, quod ex pedibus laborans ad milites, in quos animaduertit, rebelles dixit: *Caput imperare, non pedes.* Sed nec ſilentio prætereundum videtur inſigne hoc eiuſdem elogium, in extremo articulo mortis pronuntiatum: *Rempublicam*, inquit, *accepi vbique turbatam: pacatam etiam Britannis relinquo. Equidem imperium ego iam ſenex, & æger pedibus, Antoninis meis firmum trado, ſi boni erunt: ſin mali, imbecillum.* Quæ poſtrema verba Seuerus Cæſar ex Mi ipſæ oratione mutuatus eſt apud Salluſtium in bello Iugurthino.

---

### *SYMBOLVM XXV.*

## M. AVRELII ANTONINI CARACALLÆ.

---

### *OMNIS IN FERRO SALVS.*

---

[Golz. *Quia ob res à me geſtas vos mihi inuidere ſcio: in armis ſtipatus ſum militum agmine.*]

*Si caritas minus, fides vel ciuium,*
*At vis tuetur ferri, & armorum metus,*
*Sic* OMNIS IN FERRO, *vel armis eſt* SALVS.

RESPONSIO.

*At caritas magis, fides vel ciuium,*
*Quàm vis tuetur ferri & armorum metus.*
*Sic* NVLLA FERRO, *nulla in armis eſt* SALVS,

Seneca in Octauia.

NE. *Ferrum tuetur principem.* SE. *Melius fides.*
NE. *Decet timeri Cæſarem.* SE. *At plus diligi.*
NE. *Metuant neceſſe eſt.* SE. *Quicquid exprimitur graue eſt.*

SEneca in Epiſtola ad Lucilium ſcribens: *Talis*, inquit, *eſt oratio, qualis vita.* Et alibi: *Imago animi ſermo:* Qualis vir, talis

talis oratio. Nam vt oculus animi, ita ſermo hominis index eſt. Sic Democritus Philoſophus apud Laertium orationem nominat *vitæ ſimulacrum*: ex qua figura & quaſi character hominis cognoſcitur: μῶρα γὰρ μῶρος λέγει: *Stultus ſtulta loquitur*, vt eſt apud Euripidem in Bacchis. Sic nimirum vox hæc Caracallæ Cæſaris index fuit mentis tyrannicæ: cui OMNIS IN FERRO SALVS EST. Nam, vt Lycus ille tyrannus ait apud Senecam in Hercule furente,

*Ius eſt in armis: opprimit leges pudor:*
*Quod ciuibus tenere ſe inuitis ſciat,*
*Strictus tuetur enſis.*

*Sed errat profecto*, vt Comici verbis vtar, *mea quidem ſententia:*

*Qui imperium credit grauius eſſe, aut ſtabilius,*
*Vi quod fit; quam illud, quod amicitia adiungitur.*

Nam, ſecundum Saluſtium, *Regere vi patriam, importunum eſt;* & ſecundum Q. Curtium, *periculoſum eſt graue imperium.* Etenim vt Seneca ait in Hippodamia,

*Malus eſt miniſter, regij imperij timor.*

Et in Troade;

*Violenta nemo imperia continuit diu;*
*Moderata durant.*

Et Menelaus apud Euripidem;

*Si vela tendas nimium, nauis mergitur:*
*Sed ſi relaxes rurſus, vehitur tutius;*
*Odit Deus nimis vehementes impetus;*
*Odere ciues; gratior eſt moderatio.*

Quo fit; vt *imperia male parta, male geſta, male retenta fere obruantur*, vt auctor eſt Liuius. *Neque enim vlla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna; adeoque beneuolentiæ, vt & perpetuitatis vis eſt maxima, metus imbecillitas*, teſte Cicerone. *Sed nec eſt vlla diuturna poſſeſſio, in quam gladio inducimur*, vt monet Quintus Curtius: *neq; diu poteſt, quæ multorum malo exercetur, ſtare potentia*, ſecundum Senecam. Quod enim regnum eſt, cui non ſit parata ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? *Cuique poteſt accidere, quod cuiquam poteſt*, vt idem ſcribit Seneca. Quæ vero eſſe poteſt iucunditas, ſublata amicitia, ſine qua tuto & ſine metu nõ viuitur, ne iucunde quidem? Quinimo vero millies perire eſt melius, quam in ſua ciuitate, ſine armorum præſidio, non poſſe viuere, quoniam *præſidium caritate & beneuolentia ciuium ſeptum oportet eſſe, non armis*, vt

Cicero ſcribit Phil. 2. Præclare igitur Ageſilaus rogatus à quodam, cur Sparta eſſet ſine mœnibus; *Ciues armatos, & inter ſe conſentientes ſatis eſſe ad vrbis præſidium* reſpondit. Et Antigonus rex amicis ſuadentibus, vt, ſi Athenas caperet, firmis eas & validis muniret præſidiis: *Nullum*, inquit, *ſcio præſidium imperij firmius aut ſtabilius, quam ciuium beneuolentiam*. Sic Periãder ſumma ope connitendum eſſe dixit iis, qui tuto regnare vellent, vt *beneuolentia potius, quam armis ſtiparentur*. Quo etiam referatur Synesii hoc dictũ: *εὔνοια μόνη: καὶ μάλιστα βασιλέως ἐστὶν ἰσχυρὸν φυλακτήριον. Sola beneuolentia ſubditorum firmiſſima eſt regis cuſtodia*. Nam verum eſt Herodoti illud in Thalia: *ἔνθα σοφίας δέῃ, βίης ἔργον οὐδέν: vbi ſapientia opus eſt, ibi vis nihil proficit.*

## *SYMBOLVM XXVI.*

## P. SEPTIMII GETÆ.

***NVLLA FIDES REGNI.***

[Golz. *Tu qui nulli parcis potes etiam fratrem occidere.*]
NVLLA FIDES REGNI, *nulla eſt communio ſancta:*
*Neſcit regnandi ius pietatis amor.*

PVlchre Euripides tyrannidem *matrem* appellat *iniuſtitiæ*. Et Sophocles in Aiace:

Τὸν τοι τύραννον εὐσεβεῖν οὐ ῥᾴδιον:
*Tyrannum pium eſſe haud facile eſt.*

Nam, vt Satyrius canit:

*Ad ſcelus atque nefas, quodcunque eſt, purpura ducit.*

Et Lucanus:

——*Virtus, & ſumma poteſtas*
*Non coeunt facile.*——

Sic

Sic Seneca in Thyeſte;

*Vt nemo doceat fraudis, & ſceleris vias,*
*Regnum docebit*——

Præcipue vero *nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt*, ſecundum Ennium.

Quod & Lucanus confirmat his verbis:

NVLLA FIDES REGNI *ſociis: omniq́; poteſtas*
*Impatiens conſortis erit.*

Et Seneca in Agamemnone;

*Nec regna ſocium ferre, nec tadæ ſciunt.*

Cui affine eſt Ouidianum hoc;

*Non bene cum ſociis regna, Venuſq́; manent.*

Ex quo recte Q. Curtius *regnum* vocat *inſociabile*. Quod ſane ita verum eſſe, exemplo ſuo comprobauit M. Antoninus Caracalla Imperator, qui ardens cupiditate regni intolerabili, P. Septimium Getam fratrem, ſocium atq; conſortem imperij, cum veneno tollere non poſſet, clam ferro trucidauit in cubiculo. Quod animo præſagiiſſe Getam adhuc puerum conſentaneum eſt; cum Baſſiano, ſiue ioco, ſiue ſerio dicenti aliquando, omnes liberos occidendos eſſe: *Tunc*, inquit, *qui omnes occidis, potes etiam fratrem occidere*; Quare quum Tyranno Parricidæ Papinianus IC. & præfectus prætorio, patrocinari nollet; *non tam facile eſſe* dicens *excuſare, quam facere parricidium*; ab eodem paulo poſt is quoq; crudeliter fuit interfectus. Longe aliter profecto ſentiens vir ſapientiſſimus, quàm Baſſianus ille, de quo dixi; cui ſuadenti, vt inuidiæ tollendæ, aut ſaltem mitigandæ cauſa, Getam fratrem à ſe occiſum appellaret Diuum; morem gerens tyrãnus parricida; *Sit*, inquit, *Diuus, dum non ſit viuus*; Adeo *neſcit pietatis iura regnandi cupiditas*, vt ille dixit. Sed verum tamen eſt, quod Publius monet;

*Male imperando ſummum imperium amittitur.*

Et Seneca;

——*Vbi non eſt pudor,*
*Nec cura Iuris, ſanctitas, pietas, fides,*
*Inſtabile regnum eſt.*——



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0069-7

## *SYMBOLVM XXVII.*
## M. OPELII SEVERI MACRINI.

### *FERENDVM AC SPERANDVM.*

[Golz. *Dij faxint, vt filius Antonini meritum effingat: & ego, qui ſum pater Antonini, dignus omnibus videar.*

*M. Opelii Antonini F. Pater quidem curabit, ne deſit imperio: ego autem elaborabo, ne deſim nomini Antoninorum.*

*Victrix fortunæ ſapientia, qui ſapit ille*
SPERANDO *ſuperat fortunam omnem,* ATQVE FERENDO.

SEntentia Euripidea eſt: *οἰστέον καὶ ἐλπιστέον*: FERENDVM AC SPERANDVM. Quam Symbolo ſuo expreſſit M. Opelius Mac:inus Imperator: *φέρειν*, inquit, *τὰς συμφορὰς καὶ τὰ περιπίπτοντα μετρίως ὑπομένειν, ἀνθρώπων ἔργον σωφρονούντων*: *Ferre ærumnas, & caſus omnes moderate ſuſtinere, prudentis viri munus eſt ac officium.* Sic & M. Cicero pro Seſtio: *Speremus*, ait, *quod volumus; ſed, quod acciderit, feramus.* Et in Epiſt. fam. *Debemus optare optima: cogitare difficilima: & ferre, quæcunq; erunt.* Quæ ſententia hoc diſticho comprehenſa, paſſim in ore, eſt omnium:

*Optima ſperentur, metuantur p:ſſima: ſed quæ*
*Sors tulerit, forti pectore quiſque ferat.*

Nam, vt Euripides ait in Oreſte,

οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ᾽ εἰπεῖν ἔπος
οὐδὲ πάθος. οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος;
ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ᾽ ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Quos verſus Cicero lib. 4. Tuſcul. ſic reddidit.

*Neq; tam terribilis vlla fando oratio eſt,*
*Neque ſors, neq; ira cœlitum inuectum malum:*
*Quod non natura humana patiendo ferat.*

Recte igitur Maro:

*Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.*

Et Terentius in Phormione:

*Quod ſors feret, feramus æquo animo.*

Nam,

Nam, vt Palladæ illud habet:

εἰ τὸ φέρον σε φέρει, ΦΕ'ΡΕ ΚΑΙ' ΦΕ'ΡΟΥ: εἰ δ' ἀγανακτεῖς
καὶ σαυτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.

*Si te fata ferunt bene*, FER, SIC FERRE: *recuſas*
*Si tu ferre dolens, te mala fata ferunt.*

Etenim, vt Euripides monet in Ione, οὐ βιαστέον τύχην: *Fortunæ non repugnandum.* Et in Rheſo: οἰστέον τὴν τύχην. *Sors eſt ſua cuiq; ferenda.* Quandoquidem, vt Plautus ait in Rudente:

*Animus æquus optimum eſt ærumnæ condimentum.*

Omninoque leuius omne fit malum leuiter ferendo.

Sic & Horatius docet in Odis:

*Æquam memento rebus in arduis*
*Seruare mentem, non ſecus in bonis*
*Ab inſolenti temperatam Lætitia.*

Item.

*Sperat infeſtis, metuit ſecundis*
*Alteram ſortem bene præparatum Pectus.*

Et Seneca in Thyeſte:

*Nemo confidat nimium ſecundis:*
*Nemo deſperet meliora lapſis.*

Et lib. 3. nat. quæſt. *In ſecundis nemo confidat: in aduerſis nemo deficiat: alternæ ſunt vices rerum.*

Sic Publius:

*Fer difficilia, vt facilia leuius feras;*
*Feras, quod lædit: vt, quod prodeſt, perferas,*
*Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.*

Similes ſententiæ exſtant innumeræ, præſertim Græcorum poetarum: cuiuſmodi eſt Euripidis iſta in Menalippe:

τὰ τυγχάνοντα ὅστις εὖ φέρει βροτῶν,
σοφὸν νομίζω: σωφρονεῖν τ' ἐμοὶ δοκεῖ:
*Rerum euentus quiſquis bene fert mortalium;*
*Eum ego ſapientem, & moderatum hominem iudico.*

Et in Antigona:

ὅστις γε πρὸς τὸ πίπτον εὖ λόγως φέρει,
τὸ δαίμον, οὗτος μᾶλλόν ἐστιν ὄλβιος:
*Fors ipſa quod fert, quiſquis ſic fert leniter,*
*Ceu ratio dictat, multo is eſt felicior.*

Talis eſt Menandri hæc:

τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα:
*Communis eſt ferenda ſors communiter.*

Item illa:

πρᾶ τύχης ἄνοιαν ἀνδρείως φέρειν.
*Amentiam fortunæ ferto fortiter.*

Et Alexidis:

σοφοῦ 'στιν ἀνδρὸς τὰς τύχας ὀρθῶς φέρειν:
*Sapientis eſt, fortunam ferre, ceu decet.*

Item Apollodori:

χαλεπὸν τύχης τὸ πρᾶγμα, χαλεπόν: ἀλλὰ δεῖ
αὐτὴν φέρειν κατὰ τρόπον, ὥσπερ φορτίον.
*Graue eſt, graue inquam, fortunæ negotium:*
*Sed ferre fas eſt hoc, velut onus, moribus.*

---

## SYMBOLVM XXIIX.

## M. AVR. ANTONINI ELAGABALI.

---

SVVS SIBI
QVISQVE
HÆRES
OPTIMVS.

---

[Golz. *Quid melius, quàm vt ipſe mihi hæres ſim, & vxori meæ?*]

*Quid melius, mihi ſi* SVVS HÆRES *eſſe laborem?*
*Sic hæres ſuus vt ſis tibi*, VIVE TIBI.

QVam ſpurca, & nefanda M. Antonini Elagabali Cæſaris libido, & quam tetra ac portentoſa in omni vita fuerit luxuria, vulgo eſt notum. Ex quo & Sardanapali cognomentum accepit, quem vita & moribus expreſſit: *Epicuri de grege porcus*: *cui vere fuit*, vt Satyricus canit, *in ſolo viuendi cauſa palato*. Cui, cum familiaris quidam, immanem hanc deteſtatus luxuriam, forte obiiceret, an non metuat, ne ſibi aliquando egendum foret, QVID, inquit, MELIVS, QVAM VT IPSE MIHI SVVS HÆRES SIM, ET VXORI MEÆ. Sentiens nimirum, hominem ſibi viuere, & genio indulgere, & voluptati ſuæ obſequi debere: neque in craſtinum cogitare: ſed vt Poeta canit, *viuere hodie: cum ſera ſit nimis vita craſtina*. Quod qui faciat, *haud multũ eum iuuare heredẽ*: qui ſibi ſit ſuus hæres

hæreſs optimus maximus. Cum quo congruit Sardanapali illius Aſſyrii Symbolum, quod incidi ſibi in buſto iuſſit:

κεῖν' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ σὺν ἔρωτι
τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.

id eſt, interprete Cicerone lib. 5. Tuſc. quæſt.

*Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido*
*Hauſit: at illa iacent multa & præclara relicta.*

De quo ita Ariſtoteles: *Quid aliud*, inquit, *in bouis, non in regis ſepulchro ſcriberes?* Quo pertinet etiam Sotionis illa ſententia apud Athenæum lib. 8.

——γαστρὸς οὐδὲν ἥδιον·
αὕτη πατήρ σοι, καὶ πάλιν μήτηρ μόνη,
ἀρεταὶ δὲ, πρεσβεῖαί τε καὶ στρατηγίαι·
ἔξεις δ' ὅσ' ἂν φάγῃς τε, καὶ πίῃς μόνα.

*——Nil ventre dulcius:*
*Nam ſolus eſt pater, ſoluſque mater eſt*
*Venter, magiſtratus, virtus, legatio,*
*Quæ comedis ac bibis, ſola hæc habes tua.*

Nec diſcrepat ab eo L. Pomponii illud: *Ego rumorem parui facio, dum ſit, rumen quo impleam.* Et Menandri hoc in Adelphis apud Stobæum: τὸ μὴ τρέφειν με, τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν. *Quod me nutrit, Deum hoc ego nunc iudico.* Quemadmodum & Polyphemus ille apud Euripidem in Cyclope ventrem omnium deorū maximum nuncupat, cui ſoli ſe ait ſacrificare:

οὔπινι θύω, πλὴν ἐμοὶ, θεοῖσι δ' οὔ·
καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων,
ὡς τοὐμπιεῖν γε, καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν
Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσι,
λυπεῖν δὲ μηδὲν αὐτόν.

Id eſt:

*Ego nulli ſacrifico, niſi mihi, diis vero*
*Nequaquam, & ventri huic deorum maximo,*
*Nam bibere, & edere per integrum diem,*
*Hominibus ſapientibus eſt Deus; nullaq;*
*Seipſum afficere moleſtia.*

Sed aliud profecto eſt iudicium ſapientium & cordatorum hominum, *qui nihil magis ſeruile eſſe cenſent, quam luxuriam*, teſte Plutarcho: *quique edendum eſſe monent, vt viuas; non viuendum, vt edas*: vt eſt apud Socratem Xenophonteum. Nam, vt Plutarchus ait, *mali ideo viuunt, vt edant ac bibant; boni vero edunt ac bibunt, vt viuant.*

ὅστις δὲ μὴ γαστρὸς κρατεῖν ἐπίσταται:
οὗτος τὰ πλείω τῶν κακῶν ἔχει κακά.
*Si neſcit imperare ventri quis modum,*
*Plura is malis mala cumulat compluribus.*

vt eſt in illo Charetis apud Stobæum. *Paruo* enim *fames conſtat, magno faſtidium*, vt Seneca ſcribit: *adeoque paucis natura contenta eſt. Nam parabile, & appoſitum eſt, quod natura deſiderat: ad ſuperuacanea ſudatur: ad manum eſt, quod ſatis eſt*, eodem Seneca auctore. *Edones* vero *& bibones ventre & gula ſibi ipſi hoſtes*, auctore Cornelio Tacito. Pulchre etiam de hoc Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. *Luxuria*, inquit, *& libidine nihil fœdius, nihil damnoſius: his virtus atteritur: victoriæ langueſcunt: ſopita gloria in infamiam conuertitur: animique pariter & corporis vires expugnantur, adeo vt neſcias, ab hoſtibus ne, an ab illis capi pernicioſius habendum ſit.*

---

## *SYMBOLVM XXIX.*

## M. AVREL. SEVERI ALEXANDRI.

---

*QVOD TIBI,*
*HOC*
*ALTERI.*

---

[Golz. *Ego non patiar mercatores poteſtatum.*]
*Quod vis tibi fieri, fac alteri: ſed &*
QVOD NON TIBI FIERI VIS, NE FAC ALTERI.

ALIVD.

---

*QVI EMIT,*
*VENDAT*
*OPORTET.*

---

*Auro quiſquis emit miſer, auro vendit honores:*
*Qui facit, à regno ſit procul ille meo.*

ALIVD.

## ALIVD.

### *FVMO PEREAT FVMI VENDITOR.*

*Qui* VENDIT *vanos circum palatia* FVMOS
*Subdolus: hunc* FVMO *nonne* PERIRE *decet?*

PRinceps ille omnium ſeculorum & gentium memoria digniſſimus Alexander Seuerus, cum virtutibus, tum etiam fortuna ornatus, fuit: in quo quaſi lumen quoddam elucebat ſanctitas morum atq; integritas: qua factum eſt, vt, cum vnus omnium iuſtiſſimus eſſet, non modo ipſe neminem læderet: verum etiam milites ſuos ſeueritate quadam & grauitate cẽſoria, ſed ea tamen multis humanitatis condimentis mitigata & quaſi relaxata, facile contineret in officio, ne cuiquam facerent iniuriam, ſed vt ſuum cuique tribuerent. Itaque cum non eſſet alienus à fide Chriſtiana: Chriſti oraculum illud, quem in Larario ſuo coluiſſe ſcribitur, ſæpe in ore habuit, & voce præconis, quoties in milites animaduerteret iniurioſos, identidem prædicari iuſſit: QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. Æquiſſima profecto vox, & ius gentium præſe ferens, vt Seneca loquitur: quæ monet ab alio expectandum eſſe, alteri quod feceris, ſecundum Publium. Quæ enim acerbitas eſt, ſi idem fiat in te, quod tute in alio feceris? vt Sex. Cæcilius monet Aut *quæ iniuria eſt, pati, quod prior ipſe feceris?* vt Seneca docet. Ex quo recte Poeta vetus: *Qui,* inquit, *alteri exitium parat: Eum ſcire oportet, ſibi paratam peſtem, vt participet parem:* vt eſt apud Tullium Tuſc. 2. Et Caſſiodorus in Epiſtolis: Pœna peccati eſt, vt vnuſquiſque in ſe recipere poſſit, quod in alterum proteruus exercuit. Nam, vt in Græco verſu eſt apud Suidam,

εἴκε πάθοι, τάκ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.
*Si quis, quæ fecit, patitur, iuſtiſſima pœna eſt.*

Siquidem teſte Cicerone 2. de Oratore, *vt ſementem feceris, ita metes.* Iuſtitia enim videtur poſtulare, vt qui fecerit aliis iniuriam, ab aliis viciſſim accipiat iniuriam, quæ lex eſt talionis. Contra autem ſi ea, quæ alio imperante tibi fieri velles, ipſe vltro feceris alteri, neque peccabis quidquam, & omnia feliciter adminiſtrabis: & ſuauiſſime nulloque cum periculo æta-

tem deges, vt ſcribit Zonara in Auguſto. Sed & idem Imperator Seuerus Tribunis militum ſingularia dedit mandata: Si, inquit, vis TRIBVNVS eſſe, imo ſi viuere vis, manus militum contine. Nemo ſegetes atterito: nemo ſalem, oleum, ligna auferto: nemo pecudem alterius rapito: annona ſua miles cõtentus eſto: ex præda hoſtium, non ex lacrymis prouincialium annonam habeto. Ipſe præterea tantæ aſſiduitatis fuit, vt ne diem quidem vllum ſine exercitio aliquo prætermitteret: memor Apellæi illius dicti apud Horatium:

*Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit.*

Præfectos inſuper ſuos & prætores ex Senatus auctoritate conſtituit: præmonens Senatum, inuitis potius, quam ambiẽtibus, Rempublicam committendam eſſe. Maxime autem improborum magiſtratuum & iudicum pecunia corruptorum vindex fuit acerrimus: adeo, vt ſi quempiam eorum obuium haberet, oculum ei digito exſculperet: & toto in eum vultu inardeſceret, ſubinde hunc verſum recitans:

Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται:

*Qui pauca dat, furatur multa, ſaluus eſt.*

Quo ipſo quoque animo fuiſſe perhibetur in adulatores atque calumniatores, quibus ipſe, princeps alioquin placidiſſimus moribus, omnino ſe exhibuit implacabilem. Quod ſatis declarat Thurini Verconii illud ſupplicium, qui, cum familiariſſimus eſſet Alexandro, & paſſim hominibus perſuaderet, ſe quiduis poſſe apud Imperatorem: atq; ita prouinciarum munerumque publicorum nundinationes faceret: & fumũ, quod aiunt, omnibus venderet, reus criminis iuſſu Cæſaris, fumo ſuffocatus eſt, addita voce præconis: *Fumo pereat, qui fumum vendidit*: vt auctor eſt Lampridius in Seuero. Sed nec honores iuris aut gladii vnquam à quoquam vendi paſſus eſt: frequenter vſurpãs illud dicterium: *Qui emit, vendat neceſſe eſt.* Quemadmodum nec reſcripta, & decreta ſua à familiaribus, aut purpuratis ſuis venundari voluit: eamque ob cauſam non facile eum quicquam fefellit, quod ſemel animo propoſuerat aut ſtatuerat.

SYM-

## SYMBOLVM XXX.
## MAXIMINI.

### *QVO MAIOR, HOC LABORIOSIOR.*

[Golz. *Ego quo maior fuero, hoc magis laborabo.*]
*Corpore* QVO MAIOR *princeps, & maior honore:*
MAIOR EO *princeps eſſe* LABORE *volet.*

MAximinus Imperator, cum non robore ſolum corporis, verum etiam labore eſſet maximo: à Tribunis quibuſdam ſuis reprehenſus, parum decere militum ducem & Imperatorem tantopere laborare: *Ego vero,* inquit, *quo maior fuero, eo magis laborare cupio.* Sentiens nimirum, non modo virtutem, ſed etiam fortunam labore maxime comparari: eoque plus voluptatis bona adferre, quo maiore labore ea comparātur: adeoque, vt Xenophon ait, Fortibus viris quaſi obſonia quædam eſſe labores. Quod & Alexander ille Magnus intellexit: qui nihil magis ſeruile, quam luxuriam: nihil magis regium, quam laborem eſſe dixit. Et Cyrus ille Xenophonteus: Ego, inquit, arbitror decere principem anteire ſubditis, nō vita deſide & laborum experte: ſed eo, quod rebus prouideat, laboreſque lubenter ſubeat. Etenim, vt Flaccus monet,

*Nil ſine magno*
*Vita labore dedit mortalibus.*
*Ad ſumma nemo ſine labore peruenit.*

Et, vt Sophocles;

Οὔτοι ποθ᾽ ἥξει τῶν ἄκρων ἄνευ πόνου.

Quomodo & Euripides monet in Erechtheo; τὰς τύχας ἐκ τῶν πόνων θηρᾶν, id eſt, *fortunam ex labore quaſi indagare aut inueſtigare.* Et alio in loco ſcribit: τὴν ἀρετὴν βαίνειν διὰ μόχθων, id eſt, *virtutem incedere per labores.* Nam, vt idem ait Comicus:

Σὺν μυρίοις τὰ καλὰ γίνεται πόνοις:
*Quæ pulchra ſunt, multis conſtant laboribus.*

Sic & Epicharmus docet, labore omnia bona vendi diuinitus:

πρεπόντων, inquit, πόνων πωλοῦσι πάντα τἀγαθὰ οἱ θεοί: *Labore diui qualibet vendunt bona.*

Et Sophocles:

Ἅπαντα τὰ καλὰ τοῦ πονοῦντος γίνεται:
*Quiſquis laborat, omne pulchrum adipiſcitur.*

Quo etiam pertinet Menandri hæc ſententia:

Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν:
*Vt ſis beatus, eſt laborandum tibi.*

Et Theodectis.

---πολλὰ δεῖ
Μοχθεῖν, τὸν ἥξοντ᾽ εἰς ἔπαινον εὐκλεῶς:
*Labore laus paratur, atq; gloria.*

Recte enim Euripides in Archelao:

Τίς ἀμόχθητος εὐκλεής:
*Laboris expers quis celebris gloria?*

Et Heſiodus:

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.
*Virtutem poſuere Dij ſudore parandam.*

Sic Liuius Dec. 1. lib. 4. *Labor & periculum impenditur, vnde honor & emolumentum ſperatur.* Et D. Hieronymus in Epiſt. Nullus labor durus, nullum tempus longũ videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Præclare etiam Arrianus in hiſtoria ſua li. 5. Labores & præclara facinora adeuntibus, & vita ipſa cum virtute coniuncta eſt: & mors nequaquã acerba, immortalem nominis ſui gloriam relinquentibus.

## *SYMBOLVM XXXI.*

## C. IVLII VERI MAXIMINI.

*VLTOREM*
*VLCISCITVR*
*VLTOR.*

[Golz. *Ex peſſimo genere ne catulus quidem educandus.*]

*Sit licet ipſe ferox*, VLTOREM VLCISCITVR VLTOR:
*Liber & à pœna vix abit inde nepos.*

Seneca in Thyeſte;

*Vos quibus rector maris atq; terræ*
*Ius dedit magnum necis atq; vitæ:*

*Ponite*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0078-3

*Ponite inflatos tumidoſque vultus.*
*Quicquid à vobis minor extimeſcit,*
*Maior hoc vobis dominus minatur.*
OMNE SVB REGNO GRAVIORE REGNVM EST.
*Quem dies vidit veniens ſuperbum:*
*Hunc dies vidit fugiens iacentem.*

M. Tullius Cicero ad Brutum ſcribens in quadam Epiſtola: Acerbum eſt, inquit, parentum ſcelera filiorum pœnis lui: ſed hoc tamen præclare legibus comparatum eſt, vt charitas liberorum amiciores parentes Reipublicæ redderet. Quod ipſum quoq; vſu venit C. Iulio Vero Maximino Cæſari, qui vna cum Maximino patre fuit trucidatus in tumultu: militibus omnibus vna voce acclamãtibus: *Ex peſſimo genere ne catulum quidem relinquendum eſſe.* Quam vocẽ vſurpaſſe primus ſcribitur Philippus Macedo, cum omnes liberos è medio tolleret, quorum parentes occidiſſet: ne paternę aliquando necis fierent vltores ac vindices. Nam, vt in veteri eſt verſu,

Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, υἱοὺς ἀπολείπει:
*Stultus, qui caſo patre parcit deniq; proli.*

Quem verſum citat Herodotus in Clione, & Ariſtoteles li. 2. Rhetoricorum. Similis eſt huic Æſchyli ſententia apud Ariſtophanem in Ranis, qua monetur, aut ferendum, aut tollendum eſſe tyrannum:

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν:
μάλιστα δὲ λέοντα μὴ ἐν πόλει τρέφειν:
ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν:
*Catulum ne alas leonis in Republica:*
*Ne dum leonem alas ipſum in Republica:*
*Quod ſi ſit alitus, obſequendum moribus.*

Cæterum *vltionis vt acres, ita iuſti aculei ſunt: qui laceſſiti concitantur, acceptum dolorem penſare cupienſes*, vt ſcribit Valerius Maximus. Nec viro forti ſuauius quidquam, quam vindictam manu ſumere: magnumq; adeo munus à natura, animum vltione ſanare. Ex quo eſt & Poetæ illud:

*At vindicta bonum, vita iucundius ipſa.*

Et Publianum hoc alterum:

*Inimicum vlciſci, vitam eſt accipere alteram.*

## SYMBOLVM XXXII.
# M. ANT. GORDIANI I.

### OMNIS VITA SVPPLICIVM.

[Golz. *Oſtendent terris hunc tantum fata, nec vltra eſſe ſinent.*]
VIVERE SI PŒNA *eſt, cur mors ſit acerba, dolenſque?*
*At bis, Marte ſuo qui perit, ille perit.*

SYmbolum hoc ex Seneca ſumptum eſt, qui in libro de breuitate vitæ ſic ſcribit;

OMNIS VITA SVPPLICIVM EST.

Nam vt Mimus ille Publianus habet,

*In longa vita multa accidunt, quæ nolis.*

Quippe quæ omnibus fortunæ telis propoſita eſt, quæque, cum optima eſt, nil niſi moleſtia, vel potius miſeria eſt. Itaque, vt idem monet Publius,

*Sic multa pœnitenda incurrunt homines viuendo diu.*

μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς ἔχει, inquit Menander.

Et Seneca in Hercule Oetæo;

——*Mortis habet vices,*
*Lente cum trahitur vita gementibus.*

Quo fit, vt nulla fere ſit cauſa dolendi maior, quam vitæ longitudo, quemadmodum Sophocles dixit:

ὡς οὐδὲν ἄλγος, οἷον ἡ πολλὴ ζωή.

Idque miſeris præſertim & afflictis, quibus, ſecundum Menādrum:

κρεῖσσον τὸ μὴ ζῆν ἐστιν, ἢ ζῆν ἀθλίως.
*Satius mori eſt, quàm calamitoſe viuere.*

Ex quo recte Publius exclamat:

*O vita miſero longa, fœlici breuis!*

Et Iuuenalis Satyra 10.

*Hæc data pœna diu viuentibus: vt renouata*
*Semper clade domus multis in luctibus, inq;*
*Perpetuo mœrore & nigra veſte ſeneſcant.*

Quod quam verum ſit, ſatis comprobat hoc Xerxis illud factum apud Herodotum (libr. 7.) qui cum ingentem illum exercitum

ercitum ſuũ intueretur, & lacrymas funderet: ab Artabano rogatus, quid fletus iſte ſibi vellet; reſpondit, *ſe reputantem, quam breuis ſit omnis humana vita, ſubire horum miſerationem: quorum cum tot ſint, nemo ad centeſimum annum ſuperfuturus ſit*; ad hoc Artabanus: *Atqui*, inquit, *alia, quam iſtud eſt, viuendo miſerabiliora patimur. Nam in tam breui vita nullus hominum adeo fœlix extitit, neq; horum, neq; aliorum, cui non crebro, nedum ſemel, ſubeat animo moriendi voluntas potius, quàm viuendi. Incidentes enim calamitates & morbi vitam perturbant, efficiuntque, vt cum breuis ſit, tamen perlonga videatur.* Ita mors optatiſſimũ eſt perfugium ærumnoſæ vitæ: quam Deus dulci guſtu aſpergens, ob id homines iuſte plectere deprehenditur. Sic nimirum Gordiano Cæſari primo (cuius tanta iuſtitiæ & modeſtiæ fuit opinio apud omnes, vt Africa tota ſibi Lælium aut Scipionem redditum diceret) vita, non tam vita, quam mors fuit: imo vero pœna ac ſupplicium, qui octogenarius iam ſenex factus Imperator, filii morte percepta, quem conſortem imperii habuerat, ſiue ex dolore nimio, ſiue ex vitæ tædio, ſiue deniq; ex deſperatione aut metu, gulam ſibi fregit laqueo. Quanquã igitur vbiq; mors eſt, ad quam mille patent aditus: adeo vt *vitam quidem homo homini facile quiſq; eripere queat, mortem tamen nemo queat*, vt eſt apud Senecam in Thebaide: tamen *vetat dominans ille in nobis Deus, iniuſſu hinc ſuo quenquam noſtrum demigrare*, vt recte docet M. Cicero in Tuſc. 1. Quomodo, & Socrates apud eundem in ſomnio Scipionis: *Piis omnibus*, inquit, *retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec iniuſſu eius, à quo ille eſt datus, ex hominum vita migrandũ eſt, ne munus humanum, à Deo aſſignatum, defugiſſe videantur.* Et Paulus eodem in loco, Scipioni Africano mori quam primum cupienti: *Non eſt ita*, inquit: *Niſi enim Deus is, cuius eſt hoc omne templũ, quod cõſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberauerit; huc tibi aditus patere in cœlum non poteſt.* Sic igitur in procinctu ſtet animus: & id, quod neceſſe eſt, nunquam timeat: & quod incertum eſt, ſemper expectet: & non, niſi cum cauſam iuſtam Deus ipſe dederit, lætus ex his tenebris in lucem illam excedat: nec tamen illa vincula carceris rumpat. Nimirum ita natura comparatum eſt, vt corpus fluxũ, animum immortalem nacti, euocante Deo Opt. Max. corpus humo, animam cælo tandem aliquando reddamus. Recte itaque Hector ille Homericus in Iliad. 6.

οὐ μέν τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ ἄϊδι προϊάψει.

*Me, præter Fatum nemo demittet ad Orcum.*

Quan-

Quandoquidem multo eſt fortius, vitæ mala tolerare; quam voluntaria morte velle effugere: ſecundum verſum Ouidii:

*Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.*

Nam, vt Seneca ait;

*Nemo ad id ſero venit, vnde nunquam*
*Cum ſemel venit, potuit reuerti.*

Et, vt Publius;

*Mori neceſſe eſt, ſed non quoties volueris.*

Siquidem, vt Euripides in Oreſte ſcribit: τέλος ἔχει δαίμων βροτοῖσι, τέλος, ὅπα θέλει, id eſt, *Finem dabit mortalibus Deus, finem,* inquam, *quando ipſe voluerit.* Et in Supplicibus: ἥδιστος μὲν τοι θάνατος, συνθνήσκειν θνήσκουσι φίλοις, εἰ δαίμων τάδε δὴ κραίνοι: *Sane hæc eſt gratiſſima mors, caris commori amicis ſic, ſi vult hoc Deus eſſe ratum.*

Sed & verum eſt hoc Publianum;

*Bis interimitur, qui ſuis armis perit.*

Et alterum illud;

*Crimen relinquit vitæ, qui mortem appetit:*

---

## *SYMBOLVM XXXIII.*
## M. ANT. GORDIANI II.

---

*PRO PATRIA*
*MORI*
*PVLCHRVM.*

---

*Si minus in patria, patria iacet inclytus heros:*
*At bene* PRO PATRIA *qui iacet, ille iacet.*

PRæclare M. Tullius Cicero ad Atticum, li. 8. PRO PATRIA, inquit, & in patria MORI PRÆCLARVM eſt. Et Hector ille Homericus:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Quem verſum ita expreſſit Cicero: *Optimis auſpiciis ea geruntur, quæ pro Patriæ ſalute geruntur. Vnum augurium monens optimum, defendere patriam,* id eſt, fungi munere defenſoris pro patria. Quod & Tyrteus monet in Elegia ſua:

τεθνάμεναι μὲν καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα.
ἄνδρ᾽ ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.

*In*

*In prima pugnantem acie cecidiſſe decorum eſt:*
*Seruantem patriæ mœnia cara ſuæ.*

Sic Hector apud Homerum Ilia. 15. adhortatur Troianos, vt pro patria dimicare, & mori ſint parati:

*Conferti naues animis ingentibus inter*
*Quiſque ſuo pugnate loco; nec vulnere quiſquam,*
*Seu mortis fugiat pauidus formidine victus;*
*Sed iaceat, ſi quem fati ſors dura peremit:*
PRO PATRIA MAGNVM DECVS EST PROFVNDERE VITAM.
*Nam reliqui ciues noſtra virtute teguntur;*
*Et ſalua interea matres, natique manebunt,*
*Qui ſunt ætatis creſcentis ſemina, & vrbis;*
*Templa manent, legeſque bonæ, pietaſque, pudorq́;.*
*Et tunc quisque ſuis rebus, fundisq; fruetur;*
*Quum pulſi fugient hoſtes in patria regna.*

Sic Æneas apud Maronem in magna tempeſtate de vita periclitans exclamat;

*——O terq; quaterq; beati:*
*Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis,*
*Contigit oppetere!——*

Et Briſeis apud Naſonem de tribus ait fratribus:

*Qui bene pro patria, cum patriaque iacent.*

Et Horatius in Odis:

DVLCE ET DECORVM EST PRO PATRIA MORI.

Nam vt omnib. bonis expedit ſaluam eſſe Rempublicam, quæ *portus eſt & aſylum ciuibus vniuerſis*, teſte Sophocle: ita profecto *nihil eſt ſuauius, quam bene rem gerere bono publico*: vt Plautus dixit in Captiuis. Neque enim, ſecundum Tullium, quiſquam eſt tam ingratus, tam impius, tamque nullius humanitatis, qui, ſi patriæ merita reſumere velit, non eam magis, quã ſeipſum, diligat. Quippe quæ communis eſt omnium noſtrũ parens, cui nos primum natura conciliat: & quæ omnes omnium charitates complexa eſt, vt non poſſit cognatio vlla propior eſſe, quam ipſius patriæ: qua nihil dulcius, nihil amabilius, nihil charius eſſe debet: pro qua mori, & cui nos totos dare, & in qua omnia noſtra ponere, & quaſi conſecrare debemus. Cumque omnibus ſit definita mors: optandum eſt profecto magis, vt vita, quæ neceſſitati debetur, patriæ potius donata, quam reſeruata naturæ, videatur. Quod ſane qui faciũt,

id eſt, qui mortem oppetunt pro Republica: & hoc modo chariorem ſibi docent eſſe patriam, quam ſemetipſos: nunquam eos mortem potius, quam immortalitatẽ aſſecutos putabo. Siquidẽ pro breui vita, memoria his reddita eſt vitæ perpetua. Quo accedit illud, quod omnibus, qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certus eſt in cœlo ac definitus locus, vbi beati æuo ſempiterno fruantur. O fortunata igitur mors Cæſaris Gordiani, quæ naturæ debita, pro patria potiſſimum eſt reddita.

## *SYMBOLVM XXXIV.*
## M. CLODII PVPIENI MAXIMI.

### *QVI TIMETVR TIMET.*

[Golz. *Multos timeat neceſſe eſt, quem multi timent.*]
QVI TERRET, PLVS *iſte* TIMET: *metui cupit ille,*
*Sed metui quouis plus timet ipſe loco.*

ALIVD.

*Nec timeam nec ego timear quoq; rurſus, vtrumque*
*Crux eſt: multa timet, quem quoque multa timent.*

QVI TIMETVR, IS TIMET, inquit Cornelius Tacitus. Et Laberius apud Macrobium: *Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.* Et M. Cicero in Officiis: *Qui ſe metui volunt, à quibus metuuntur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt.* Sic Seneca in Epiſtolis: *Multis timendi attulit cauſas, timeri poſſe.*

Et in Oedipo:

*Qui ſceptra duro ſæuus imperio regit,*
*Timet timentes: metus in auctorem redit.*

Et in Agamemnone:

——*Vt præcipites regum caſus*
*Fortuna rotat, metui capiunt,*
*Metuique timent.*

Et Claudianus in Honor. 4.

QVI TERRET, PLVS ISTE TIMET: *ſors iſta tyrannis*
*Conue-*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0084-6

*Conuenit; inuideant claris, forteſque trucident:*
*Muniti gladiis viuant: ſeptique venenis,*
*Ancipites habeant arces, trepidique minentur.*

Quod Periander etiam teſtatur apud Auſonium:

*Multis terribilis, caueto multos.*

Nimirum hæc eſt tyrannorum vita; in qua, vt Tullius docet, nulla fides, nulla caritas, nulla ſtabilis beneuolētiæ poteſt eſſe fiducia: omnia ſemper ſuſpecta atque ſolicita ſunt: nullus locus amicitiæ: quæque, vt Seneca loquitur, pauet vanos metus, veros fatetur: Plane enim eorum ingenia prona ſunt ad formidinem, auctore Saluſtio: ſuſpectuſq; ſemper, vt ait Tacitus, inuiſuſq; dominantibus, quiſquis proximus deſtinatur. Quo fit, vt neq; is, qui tyrannus eſt, diligat quenquam; neq; à quoquam diligatur, ſed ab omnibus potius odio habeatur: quo quid eſſe poteſt miſerius aut infelicius. Recte enim Seneca: Nullum ſupplicium publico odio grauius, adeoque inter ſuſpecta male viuitur, vt eſt in eiuſdem Epiſt. 75. Et in lib. de Clement. Non eſt ibi rex tutus, vbi nihil à rege tutum eſt: Seueritas ſeueritate mutua paciſcenda eſt. Sic Ennius: Quem metuunt, oderunt: Quem quiſque odit, periiſſe expetit. Et Cornel. Tacitus: Metus & terror infirma vincula ſunt charitatis, quæ vbi remoueris, qui timere deſierint, odiſſe incipient. Quantum autem odium valeat ad perniciem, & quam nullæ opes multorum odiis poſſint obſiſtere; ſatis hac declarant exitus tyrannorum, quorum pleriq; aut ferro, aut veneno perierunt; pauci admodum *ſicca morte*, vt Satyricus loquitur; hoc eſt, ſine cæde, & ſanguine. Qua de re præclare monet Tullius in Officiis; Sit ſane, inquit, adhibenda ſæuitia iis, qui vi oppreſſos imperio coercent, vt heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt: Qui vero in libera ciuitate ita ſe inſtruunt, vt metuantur, his nihil poteſt eſſe dementius. Quamuis enim demerſæ ſunt leges alicuius opibus; quamuis tremefacta libertas; emergunt tamen hæc aliquando aut iudiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis. Acriores autem morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quam retentæ. Quod igitur latiſſime patet, neque ad incolumitatem ſolum, ſed etiam ad opes, & potentiam valet plurimum, id amplectamur: vt METVS ABSIT, CHARITAS RETINEATVR. Ita facilime, quæ volumus, & priuatis in rebus, & in Republica conſequemur. Etenim, qui ſe metui volent, à quibus metuuntur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt. Quid enim cenſemus ſuperiorem illum Dionyſium,

quo cruciatu timoris angi ſolitum, qui cultros metuens tonſorios, candenti carbone ſibi adurebat capillum? Quid? Alexãdrũ Pheræum, quo animo vixiſſe arbitramur, qui (vt ſcriptum legimus) cum vxorem Theben admodum diligeret: tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidẽ (vt ſcriptum eſt) compunctum notis Threiciis diſtricto gladio iubebat anteire: præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui perſcrutarentur arculas muliebres, & ne quod in veſtimentis occultaretur telum, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum, & ſtigmaticum putaret, quam coniugem! Nec eum fefellit opinio, ab ea ſiquidem propter pellicatus ſuſpicionem interfectus eſt. Nec vero vlla vis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cuius eſt præter cæteros nobilitata crudelitas, qui nõ ex inſidiis interiit: vt is, quem modo dixi, Alexander: non à paucis, vt Cæſar, ſed in quem vniuerſa Agrigentinorum multitudo impetũ fecit. Quid Macedones? Nonne Demetrium reliquerunt, vniuerſique ſe ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedæmonios iniuſte imperantes, nõne repente omnes fere ſocii deſeruerũt: ſpectatoreſque ſe ocioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis? Hactenus Cicero. Sed & Xenophon in Hierone vitam tyrannorum graphice depingit, quos ſæpius à ſuis, & domeſticis, quam ab extraneis, & peregrinis occiſos fuiſſe memorat, eamque ob cauſam negat locum eſſe amicitię apud eos, qui omnibus ſint potius odio, quã amori; βιβαιόταται μὲν, inquit, φιλίαι εἰσὶ γονεῦσι πρὸς παῖδας, καὶ παισὶν πρὸς γονέας, καὶ ἀδελφοῖς πρὸς ἀδελφοὺς καὶ γυναιξὶ πρὸς ἄνδρας, καὶ ἑταίροις πρὸς ἑταίρους. Εὑρίσκεις δὲ τοὺς μὲν ἰδιώτας ὑπὸ τούτων πάντων μάλιστα φιλουμένους: τοὺς δὲ τυράννους, πολλοὺς μὲν παῖδας ἑαυτῶν ἀπεκτόνοντας: πολλοὺς δὲ ὑπὸ παίδων αὐτοὺς ἀπολωλότας: πολλοὺς δὲ ἀδελφοὺς ἐν τυραννίσιν ἀλληλοφόνους γενομένους: πολλοὺς δὲ καὶ ὑπὸ γυναικῶν τῶν ἑαυτῶν τυράννους διεφθαρμένους: καὶ ὑπὸ ἑταίρων γε μάλιστα δοκούντων φίλων εἶναι, οἵτινες οὖν ὑπὸ τῶν φύσει πεφυκότων μάλιστα φιλεῖσθαι, καὶ νόμῳ συνηναγκασμένων, οὕτω μισοῦνται, πῶς ὑπό γε ἄλλου τινὸς οἴεσθαι χρὴ αὐτοὺς φιλεῖσθαι: Firmiſſimæ, ait, amicitię ſunt: quas parentes habent erga liberos, ac liberi viciſſim erga parentes: item, quas fratres erga fratres, vxores erga maritos, denique ſodales erga ſodales. Sed ab his omnibus potiſſimum amari priuatos comperies: tyrannos vero complures aut liberorum ſuorũ occiſores eſſe, aut eoſdem à liberis occiſos: multos aũt fratres, regnum affectantes, mutuo parricidio confectos: multos deniq; ab vxorib. necatos, aut à ſodalibus, qui

maxime

maxime videbantur amici. Quomodo igitur fieri poſſe credẽdum eſt, vt qui ab his, quos & natura, & lex inprimis amare iubet, vſque adeo habentur odio, ab alio quoquam amari aut diligi poſſint? Et paulo poſt: τοὺς ἀλκίμους, καὶ τοὺς σοφούς, καὶ τοὺς δικαίους ἀντὶ τοῦ ἄγασθαι φοβοῦνται οἱ τύραννοι. τοὺς μὲν ἀνδρείους μή τι τολμήσωσι τῆς ἐλευθερίας ἕνεκα: τοὺς καὶ σοφούς, μή τι μηχανήσωνται: τοὺς δὲ δικαίους, μὴ ἐπιθυμήσῃ τὸ πλῆθος ὑπ' αὐτῶν προστατεῖσθαι. Probos & ſapientes & iuſtos viros, quos diligere debebant, metuunt tyrãni: ſortes quidem, ne quid audeant, libertatis amore: ſapiẽtes, ne quid machinentur: iuſtos denique, ne multitudo cupiat ab his gubernari Et ſtatim poſt: τὸ δὲ φοβεῖσθαι μὲν ὄχλον, φοβεῖσθαι δὲ ἐρημίαν, φοβεῖσθαι δὲ ἀφυλαξίαν: φοβεῖσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς τοὺς φύλακας: καὶ μήτε ἀνόπλους ἔχειν ἐθέλειν περὶ αὐτούς: μήτε ὡπλισμένους ἡδέως θεᾶσθαι, πῶς οὐ χαλεπόν ἐστι πρᾶγμα; ἔτι δὲ ξένοις μᾶλλον, ἢ πολίταις πιστεύειν, βαρβάροις τε μᾶλλον, ἢ Ἕλλησιν: ἐπιθυμεῖν δὲ τοὺς μὲν ἐλευθέρους δούλους ἔχειν: τοὺς δὲ δούλους ἐλευθέρους ἀναγκάζεσθαι ποιεῖν: οὐ πάντα ταῦτά σοι δοκεῖ ψυχῆς ὑπὸ φόβων παραπεπληγμένης τεκμήρια εἶναι: ὁ δέ τοι φόβος οὐ μόνον αὐτὸς ἐνὼν ταῖς ψυχαῖς λυπηρός ἐστιν: ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἡδέων συμπαρομαρτῶν λυμαντήρ ἐστιν: Metuere turbam, metuere ſolitudinem, metuere ſatellitii abſentiam, metuere ipſos etiam ſatellites, eoſque nec inermes velle habere apud ſeſe, nec armatos videre libenter: an non res eſt miſera? Tum autem & peregrinis potius, quam ciuibus fidere, ac barbaris potius, quam Græcis? Poſtremo huc compelli; vt pro liberis cupias habere ſeruos, & ex ſeruis cogaris facere liberos: an nõ hæc tibi videntur argumenta animi terroribus attoniti perculſique? Metus autem non ſolum ipſe, cum inſedit anim[o] moleſta res eſt, ſed dum nuſquam non adeſt, ac circumfertur, fit omnium iucundarum rerum corruptela. Sed & huc pertinent Menandri verſus in Aſpide:

ὦ τρισάθλιοι, τί πλέον ἔχουσι τῶν ἄλλων; βίον
ὡς σκληρὸν ἐξαντλοῦσιν οἱ τὰ φρούρια
τηροῦντες; οἱ τὰς ἀκροπόλεις κεκλημένοι.
εἰ πάντας ὑπονοοῦσιν οὕτω ῥαδίως
ἐγχειρίδιον ἔχοντας αὐτοῖς προσιέναι:
οἵαν δίκην διδόασιν;

*O ter quaterque miſeri! quid plus cæteris*
*Tyranni habent? vitam viuunt miſerrimam,*
*Præſidia qui ſimul, & arces cuſtodiunt.*
*Quod ſi tam facile ſuſpicantur, ac timent,*
*Ne pugione cincti accedant clanculum:*
*Qualem putandum eſt hos tandem pœnam dare?*

Item

Item & Senecæ illi verſus de Nerone loquentis in Octauia:

*Licet extruat marmoribus, atqui auro tegat*
*Superbus aulam: limen armatæ ducis*
*Seruent cohortes: mittat immenſas opes*
*Exhauſtus orbis: ſupplices dextram petant*
*Parti cruentam: regna diuitias ferant:*
*Veniet dies tempuſq; quo reddat ſuis*
*Animam nocentem ſceleribus, iugulum hoſtibus,*
*Deſertus, & deſtructus, & cunctis egens.*

Memorabile vero eſt, quod Ælianus ſcribit: *Suibus ſimiles eſſe tyrannos, quas ſi quis tetigerit, protinus clamare incipiunt: mortem ſcilicet ſomniantes, cum nec vellera habeãt, nec lac, nec aliud quiddam, præter carnes. Sic tyranni omnia ſuſpicantur ac metuunt: ſciẽtes nimirum, quod ſicuti ſues, ita & ipſi, vitam omnibus debeant.* Quanto igitur melius eſt & iucundius diligi & carum eſſe, quam metui & timeri, quod & tutiorem vitam, & voluptatẽ efficit pleniorem. *Rerum* enim *omnium*, vt Cicero dixit, *nec aptius eſt quicquã ad opes tuendas ac tenẽdas, quam diligi, nec alienius, quam timeri.* Quandoquidem *timor vt malus miniſter eſt regij imperij*, ſecundum Senecam: ita *non diuturni eſt magiſter officij*: eodem Tullio auctore Philip. 2. Sic & Heraclius monebat, *poteſtatem non tantum timore, quantum amore, poſſidere.* Quin potius vt Pittacus monet, principi illud omnibus modis efficiendum eſt; vt ſubditi metuant nõ ipſum, ſed pro ipſo: ἐμοὶ, inquit, δοκεῖ μάλιστα αὖ ἔνδοξος γενέσθαι καὶ βασιλεὺς, καὶ τύραννος: εἰ τοὺς ὑπηκόους ὁ ἄρχων παρασκευάσειε φοβεῖσθαι, μὴ αὐτὸν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ αὐτοῦ. Neque enim alia vlla melior vel tutior principi poteſt eſſe cuſtodia, quam vera & conſtans ſubditorum beneuolentia. Cum enim adſueuerint plerique & potentes non principem, ſed principi ſuo metuere: multis ille oculis videt, multis auribus audit, præſentitq; ea, quæ aguntur: adeoq; princeps fidelitate ſuorum & fauore nihil habet fortius aut tutius, vt ſcribit Plutarchus in Arato. De quo Epigramma hoc noſtrum extat in Eteſiis:

*Ille bonus princeps, & rex eſt dignus honore:*
*Subdita cui, non quem ſubdita turba timet.*

## SYMBOLVM XXXV.
## D. CÆLII BALBINI.

*BONIS NOCET,*
*QVI*
*MALIS PARCIT.*

[Golz. *Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.*]
BONIS NOCET *princeps, quando* PARCIT MALIS.
*Bonorum iniuria ſit malorum impunitas.*

*Nec piger ad pœnas, nec velox eſſe laboret:*
*Namque* BONIS NOCET *hic,* PARCIT *at ille* MALIS.

*Quem punire malos piget, haud eſt arbiter æquus:*
*Quando* MALIS PARCIT, *ſic* NOCET *ipſe* BONIS.

SYmboli huius auctor eſt Seneca: BONIS NOCET, QVI PARCIT MALIS. Quod Publius etiam in Mimos ſuos retulit, cum ait:

*Bonis nocet quisquis pepercerit malis.*

Quo monemur: in animaduertendo opus eſſe quadam ſeueritate Iuſtitiæ, quoniam, vt idem Publius ait:

*Bono iuſtitiæ proxima eſt ſeueritas.*

Nam magiſtratus bonis bonus, malis malus eſſe debet: id eſt, vt Euripides docet in Syleo:

τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος· τοῖς δ᾽ αὖ κακοῖς
πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χθόνα.

Quandoquidem impunitas ma'orum non modo cum iniuria bonorum coniuncta, ſed & maxima peccandi illecebra eſt. Quotuſquiſq; enim reperitur, qui impunitate propoſita, abſtinere velit iniuria? Itaque multo eſt vtilius, vnius improbi ſupplicio multorum improbitatem coerceri, quam propter multos improbos vni parcere, vt quem ipſa natura & diſciplina retinere in officio non poteſt, is pœnæ magnitudine ſubmoueatur maleficio: ne priuatim aut publice alios lædendo,

commununem violet hominum ſocietatem. Qui enim *punit iniuſtos, is aliis fieri iniuriam prohibet*, vt Iſæus dixit: ὅσοι τοὺς ἀδικοῦντας κολάζουσιν, τοὺς ἄλλους ἀδικεῖσθαι κωλύουσιν. Et, vt Lactantius, *bonorum ſalutem cuſtodit, qui malos punit*. Nam *dum mali pauent, optimus quisq; iuſſis paret*, teſte Cornelio Tacito. Recte igitur Caius IC. *Pœnas*, inquit, *ob delicta ſolui magna ſuadet ratio*: ne ſcilicet vel ipſe tale aliquid deinceps committat, & vt cæteris eiuſmodi pœna ſit exemplo: quo ad iniuriam inferendam aliis ſint tardiores. Et Seneca, de Clementia: In vindicandis iniuriis lex eſt, vt hæc tria princeps conſideret, aut vt eum, quem punit, emendet, aut vt pœna eius cæteros meliores reddat, aut vt ſublatis malis cæteri ſecuriores viuant. Quem puniendorũ maleficiorum finem grauiſſime expreſſit Plato in Protagora, & lib. XI. de legibus: Nemo, inquit, punit eos, qui deliquerunt, ob hanc cauſam, quia deliquerunt, niſi abſque ratione, tanquam beſtia, pœnam exigat. Nam qui iudicio caſtigare vult, non is, criminis cauſa perpetrati pœnam ſumit: (Quomodo enim, quod factum eſt, infectum reddere poterit?) ſed exempli cauſa futuri, ne denuo vel hic ipſe peccet, vel alius quiſpiã, qui in eum hoc modo animaduerti viderit. ἰατρικὴ δὲ γίνεται πονηρίας ἡ δίκη id eſt: *Malitiæ medicina eſt pœna*, vt idem Plato ſcribit de Republ. Quo fit vt cum vitæ emendatio aliqua ſperatur, interdum veniæ ac miſericordiæ locus ſit, & contra, quoties exemplo propter delictorum frequentiam, opus eſſe videtur, pœnæ à legibus conſtitutæ exaſperentur: τῶν γὰρ μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τῶν θεῶν: ſecundum Herodotum in Euterpe. Et, vt Auguſtinus loquitur, *pœna grauior grauius peccantib. debetur*. Magnorum quippe delictorum magnas oportet eſſe pœnas. *facitq;* adeo *non raro atrocitas pœnæ obedientiorem vt Duci militem, ita ſubditum magiſtratui*, teſte Liuio. *Pœnæ* autem *leues non poſſunt refrænare iuuentutis inſaniã, & ingenij ferociam: neque poſſunt ita facile rerum honeſtarum contemptores ad temperantiam reducere*, teſte Dionyſio Halycarnaſſeo. Sic Euripides:

ἔστι τοι καλὸν τοὺς κακοὺς κολάζειν·
*Punire fas eſt & bonum homines improbos.*

Et Seneca:

*——Victima haud vlla amplior*
*Poteſt, magiſque opima mactari Ioui:*
*Quam homo iniquus.——*

Sic & Solon ille legislator duabus rebus contineri dixit

Rem-

Rempublicam: *præmio* nimirum & *pœna*. Et Antiſthenes cenſuit nullam eſſe maiorem perniciem Reipublicæ, quam *ſi boni à malis non diſcernantur*, id eſt, ſi mali obſeruentur & boni negligantur. Nam & ciuium bonitas Remp. ſtabilire, & improbitas conuellere ſolet. Quod egregie monuit quidam de Eleis, talem eſſe ciuitatem, qualis cuiuſque domus ſit, cum priuata bona aut mala in Republ. congregari, & his euerti, illis ſtare omnes ciuitates neceſſe ſit. Et Cic. l. 3. de nat. Deor. Nec domus, nec Reſpublica ſtare pōt, ſi in ea nec recte factis præmia extent vlla, nec ſupplicia peccatis. Plane enim ſecundum Plinium, præmia bonorum malorumq; pœnæ bonos ac malos faciunt: pauciq; adeo ingenio valent, vt non turpe honeſtũque, prout bene vel ſecus ceſſit, expetant fugiantue: cæteri vbi laboris, inertiæ, vigilantiæ ſomno, frugalitatis luxuriæ merces datur, eadē iſta quib. alios artibus aſſecutos vident, conſectātur: qualeſq; ſunt illi, tales eſſe & videri nolunt, & dum nolũt, fiunt. Recte igitur Sopater in Epiſtola ad Hemeterium fratrē de Repub. adminiſtranda: ἀνεξίκακον ὁμοῦ, καὶ μισοπόνηρον σεαυτὸν ἐπιδείκνυε: τῷ μὲν ἠρέμα κολάζειν τὴν ἀνεξικακίαν: τῷ δὲ ἀπεχθάνεσθαι τοῖς κακοῖς τὴν μισοπονηρίαν ἐλέγχων: ἵνα τὸ μὲν φεύγειν τὰ φαῦλα, τὸ δὲ μὴ λίαν ἀπαραμύθητον εἶναι τοῖς ἐπταικόσι τὴν τύχην ἀποδεικνύῃ: Prębe te ſimul & clementē, & inſenſum malis: lente quidē puniendo, clementiæ ſtudium: malis autem indignando, improbitatis odium præ te ferens, vt hoc quidem fugienda eſſe mala, illud vero non nimis implacabilem eſſe fortunam iis, qui peccauerunt, documento ſit.

## *SYMBOLVM XXXVI.*

## M. ANT. GORDIANI III.

*PRINCEPS MISER*

*QVEM*

*LATET VERITAS.*

[Golz. *Miſer Imperator, apud quem vera reticentur:*]
*Si veritas nunquam latet, mendacio*
*Qui fallitur, profecto Cæſar eſt miſer.*

QVoniam *omnis hominum virtus & ſapientia in veritate potiſſimum ſita eſt*, auctore Bacchylide, *quæ nunquam latet, & in omnem partem ſui ſemper ſimilis, & vna, & eadem eſt, cuius vna perpetuo vis eſt, & vna facies*, teſte Seneca: ſane ea vel imprimis neceſſaria eſſe videtur principi, & ei, qui cū imperio eſt & poteſtate, cuius virtute ac ſapientia regnum adminiſtratur. Nam, vt *veritas res omnium iuſtiſſima*, ſecundum Menandrum: ita *præſidium vitæ longe optimum atque tutiſſimum* eſt, vt eſt apud eundem Comicum Græcum:

> Ἀλήθεια ἁπάντων χρῆμα δικαιότατον:
> Εἰς ἀσφάλειαν τοῦ βίου πλεῖστον μέρος:

Quippe quæ eſt ἀρχὴ μεγάλης ἀρετῆς, *magnæ virtutis principium*, vt Plutarchus ſcribit in Mario: ſeu, vt Pindarus, *quæ magna promouet principia virtutis*, ἀρχὰς μεγάλας ἀρετᾶς ὦνασσε θυγάτηρ Διὸς, *filia Iouis*: & vt Olympias canit, θεῶν ὁμόπολις, μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη, hoc eſt, *cœli ciuis & conuictu fruens Deorum*, cuius ſane robur eſt fortiſſimum, vt *hac duce nunquam errari poſſit*, ſecundum Sophoclem. Nam, vt Naſo canit, *magna eſt præſentia veri*: Et, vt Sophocles in Antigona, ὀρθὸν ἡ ἀλήθεια ἀεί. Itaque recte Euripides in Alcmæone *veritatem optimum viri iuſti decus & præmium* nominat, cum ait: ἀτρέκεια ἄριστον ἀνδρὸς ἐν πόλει δικαίῳ πέλει, Cuius duæ ſunt comites, ſecundum Auguſtinum, *ſapientia & conſtantia*. Quod cum ita ſit, recte dixiſſe mihi videtur Gordianus Imper. auctore Iulio Capitolino MISERVM ESSE CÆSAREM, APVD QVEM VERA RETICENTVR, qui cum ipſe publice ambulare non poſſit: neceſſe eſt, vt audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata cōfirmet: quique vt C. Eraſmus Lætus ſcribit in Gordiano:

> *Cum rerum nequeat fortaſſe inſpector haberi,*
> *E delatorum iudicet ore bonos:*
> *Quæque expenſa putat, nonnunquam falſa ſequatur:*
> *Et minus æquata cuncta bilance probet.*

Quod idem quoque Diocletianum Cæſarem dicere ſolitum fuiſſe, ex Trebellio Pollione memorat Pomponius Lætus: NIHIL ESSE DIFFICILIVS, QVAM BENE IMPERARE: non ſolum quod pro voto quiſque loquatur de principe, ſed multo magis, quod princeps cubiculo clauſus vera minime noſcat, aures ſuis præbeat, & horū verbis accendatur, aut ſedetur: magiſtratus ipſe vel creet, vel repudiet; denique vt maxime ſit, qui imperat, bonus, ſit cautus, ſit æquus, omnino vendatur ab aulicis ac decipiatur. Sic Auguſtus, mortuo Varo idcirco ſupra

modum ſe dolere aiebat, quod nõ eſſet, à quo verum audiret. Sic & Antiochus allata purpura & diademate: *Age*, inquit, *ex quo hæc indui, heri primũ vera de me ipſe audiui.* Ludouicũ quoque XI. Galliæ regem aliquando dixiſſe ferunt, *ſe in ſuo regno, & potiſſimũ in aula propria, abundare rebus omnibus, vna excepta.* Quærentibus vero aulicis familiaribus, quænam res illa eſſet, *Veritatem eſſe* reſpondit, ſentiens miſeriam in eo eſſe regum ac principum, vt raro admodũ verum audiant & cognoſcãt: adeoq; male agi cum ea Repub. in qua plus valet obſequiũ auriũ, quam iudicii veritas. Recte enim Satyricus: *Quid violentius aure tyranni?* qui, vt Herodotus ait, διαβολὰς ἄριστον ἐνδέκεσθαι οἴεται, ἀναρμοστότατον πάντων, id eſt, *optimũ putat admittere criminationes, quod omnium eſt indecentiſſimum.* Tunc nimirum candor periculoſus: libertas ingrata: ſermo inſidioſus: aſſentatio iucunda: frons omniũ familiaris: multorum animus iratus: iracundiæ occultæ: blanditiæ apertæ: denique ficta & falſa ſunt omnia. *Miſer* autem *eſt, qui ſe teſtem contemnit*, vt Seneca ſcribit Epiſt. 43. Quod vitio datum olim fuit Tiberio Cæſari, & Domitiano, quorum ille lucri & quæſtus faciendi cauſa tantum tribuit delatoribus, vt nemini eorum fidem abrogaret, ſiue quid veri, ſiue falſi referret: hic vero rapinæ ſupra modum ſtudioſus ac cupidus, ita aures calumniatorib. patefecit, vt nihil cuiquam tutum aut ſanctum eſſet. Ita comparatum eſt, vt qui figmentorũ portentis aures præbent, & ipſi mox aliquid affingant: quo fit, *vt mendaciorum quaſi colluuie veritas vitiata, ſuam prorſus auctoritatem perdat*: teſte Pauſania. Quanto rectius & conſultius fecit Gordianus Cæſar, qui veritatis cognoſcendæ ſtudioſiſſimus fuit, repudiatis omnibus delatoribus: cum ſciret *principem, qui delatores non caſtiget, irritare*: vt Suetonius ait in Domitiano. Cui Miſitheus ſocer ſcribens in quadam Epiſt. *Delectat*, inquit, *boni eſſe principis ſocerum: & eius, qui omnia requirat, & omnia velit ſcire, & qui pellat homines, per quos antea, velut in auctione poſitus, nundinatus eſt.* Sic Ludouicus VI. Francorum rex ſępe diſſimulato habitu turbæ ſe admiſcuit, vt liberas populi voces & iudicia de ſe exciperet, quo facilius & ſuis & Reipub. mederetur incommodis. Cæteroquin principẽ non omnium calumniis & delationibus fidem habere omnino decet. Hinc & Plato de Republica magiſtratum volt eſſe τὰ ὦτα διατεθρυλλημένον, id eſt, *qui aures habeat obtuſas & hebetes ad rumores & fabulas populares.* Et Apollonius percunctanti regi ſuo, quanam ratione tranquille & pacate regnum admini-

adminiſtret ſuum: Si, inquit, paucis fidem habeas. Neq; illud ſane immerito. Qui n. facile audit, facile credit: qui aũt facile credit, facile fallitur. Princeps aũt qui vult omnia ſcire & audire, neceſſe eſt, vt multa ignoſcat, ſecundum Fabium. Recte igitur M. Cic. ad Q. Fratrem ſcribens: Sint aures, inquit, tuæ, quæ id, quod audiunt, exiſtimentur audire, non in quas ficte aut ſimulate quæſtus cauſa inſuſurretur. Et Thales rogatus, quantum veritas diſtaret à mendacio, Quantum, inquit, oculi ab auribus. Nam verum eſt illud, quod Candaules ad Gygem paſtorem regium dicit apud Herodotum: τὰ ὦτα ἀνθρώποις ἀπι- ςότερα ὀφθαλμῶν. Quod Poeta hoc modo expreſſit:

*Certior aure*
*Arbiter eſt oculus.*

Neque enim, vt Naſo canit:

*Affectus ſimilis, aut impetus idem*
*Rebus ab auditis, conſpicuiſque venit.*

Siquidem ſecundum Senecam; *homines ſemper amplius oculis, quam auribus, credunt.* Et Imp. Iuſtinianus magis veritatem oculata fide, quam per aures, hominum animis infigi poſſe affirmat. Quo etiam pertinet Plautinum illud in Truculento:

*Non eſt laudandus is, qui plus credit, quæ audit, quam*
*Quæ videt: non placet, cum illi plus laudant, quæ audiunt,*
*Quam quæ vident. Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quam auriti*
*Decem, qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane ſciunt.*

---

## *SYMBOLVM XXXVII.*

## M. IVLII PHILIPPI I.

---

*MALITIA*
*REGNO*
*IDONEA.*

---

[Golz. *Si violandum eſt ius, regni gratia violandum eſt:*]
*Non bene conueniunt Pietas, & ſumma poteſtas:*
*Sic Pietas Regno ſæpe dat acta locum.*

PLacuit M. Iulio Philippo Imperatori Eteoclis vox illa apud Euripidem in Phœniſſis:

Εἴπερ

*Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι*
*Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.*

Quos verſus M. Tullius Cicero in Officiis ſic conuerſos C. Iulio Cæſari tribuit:

*Quod ſi violandum eſt ius, regnandi gratia*
*Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.*

Plane enim *auitum malum, regni cupido*, auctore Liuio: &, vt Sophocles ſcribit in Aiace:

*Τὸν μὲν τύραννον εὐσεβεῖν οὐ ῥᾴδιον:*
*Pium tyrannum haud facile eſt eſſe, vel probum.*

Et in Oedipo:

*Ὕβρις φυτεύει τύραννον,*

*Tyrannum creat iniuria*: vel potius, vt Euripides ait, *mater iniuſtitiæ eſt tyrannis.* Quod & Dionyſio tyranno tribuitur, qui dixit,

*Ἡ μὲν τυραννὶς, ἀδικίας μήτηρ ἔφυ:*
*Tyrannis ipſa mater eſt iniuriæ.*

Sic & Seneca:

MALITIA, inquit, REGNO IDONEA.

Et in Agamemnone:

*Iura pudorq; fugiunt aulas.*

Et in Thyeſte:

*——Sanctitas, pietas, fides,*
*Priuata bona ſunt: qua iuuat, reges eant.*

Et Lucanus lib. 8.

*——exeat aula*
*Qui volet eſſe pius: virtus, & ſumma poteſtas*
*Non coeunt: ſemper metuent, quem ſæua pudebunt.*

Sic & Demoſthenes in Philip. ἅπας, inquit, τύραννος ἐχθρὸς ἐλευθερίας, καὶ νόμοις ἐναντίος. *Omnis tyrannus hoſtis eſt libertatis, & legum aduerſarius.* Sed profecto regna eiuſmodi & *imperia cum ſcelere omnibus ſunt exiliis grauiora*: vt recte & grauiter apud Senecam Iocaſta monet Polynicem filium in Thebaide. Quo accedit illud, quod, vt idem Poeta ſcribit in Medea:

*Iniqua nunquam regna perpetuo manent.*

Et in Thyeſte:

*——Vbi non eſt pudor,*
*Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides,*
*Inſtabile regnum eſt.——*

Quanto ſanctius præcipit Horatius lib. 3. Carmin. 24.

O quiſ-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0095-2

*O quisquis volet impias*
*Cædes, aut rabiem tollere ciuicam:*
*Si quæret pater vrbium*
*Subſcribi ſtatuis: indomitam audeat*
*Refrenare licentiam,*
*Clarus poſtgenitis, &c.*

---

## *SYMBOLVM XXXVIII.*
## M. IVLII PHILIPPI II.

---

*MVLTA*
*NEC*
*APTA.*

Πολλὰ, καὶ μὴ καίρια.

---

[Golz. *Non eſt eiuſdem, & multa, & oportuna dicere.*]
*Qui vult* MVLTA *loqui, non* OPPORTVNA *loquetur*
*Semper, ſic linguæ ſe docet eſſe malæ.*

SEnarius eſt, prouerbii loco celebratus, apud Suidam:
χωρὶς μὲν εἰπεῖν πολλὰ, καὶ τὰ καίρια.
*Diuerſa ſunt hæc,* MVLTA ET APTA *dicere.*
Cum quo etiam congruit Ariſtoteleum illud, quod eſt in li. 3. Rhetoricorum τόσα, ἀλλ᾽ οὐ τοιαῦτα, id eſt, *tam multa, at non talia.* Quod ſumptum eſſe apparet ex verſu Homerico:
τόσ᾽ εἶπες, ὅσ᾽ ἂν πεπνυμένος ἀνήρ,
hoc eſt, *tam multa, quam ſapiens.* Neq; enim refert, quam multa, ſed quam opportuna quis loquatur, quæ & ad rem faciunt, & quæ vſum habent in vita. *Poma* enim *aurea in lance argentea, ſermo opportunus,* vt Salomon ait in prouerbiis. Quemadmodum & Philoſophus pro doctis habendos eſſe cenſet: nō tam eos, qui multa, quam qui vtilia didicerint. Et Philonides apud Stobæum:
οὐκ ἄν τις εἴπῃ πολλὰ θαυμασθήσεται·
ὁ μικρὰ δ᾽ εἰπὼν μᾶλλον, ἂν ᾖ χρήσιμα.
*Non multa ſi quis dicit, laude dignus eſt:*
*Sed pauca, ſi vitaq; dicit commoda.*

Sed & orationi breui plus ineſt ſapientiæ, &, vt ait Sophocles;

Βραχεῖ λόγῳ παμπολλὰ περιέχεται σοφά.

Et *in bona cauſa tria verba ſufficiunt*, *teſte Pindaro*: E diuerſo autem, *in multiloquio eſt peccatum*, teſte Salomone. *Magnus* enim *liber*, *magnum malum*, ſecundum Callimachum: *meliorque eſt indiſcreta*, vt Gellius loquitur, *prudentia*, *quam ſtulta loquacitas*, κακὸν δ᾽ ἀνεμώλια βάζειν, id eſt, *malum*, *vana & incerta loqui*, vt eſt apud Homerum. Adeoque ſecundum Euripidem, ἀκόλαστος γλῶσσα, αἰχίστη νόσος: id eſt, *lingua incontinens*, *morbus peſſimus*. Fieri enim non poteſt, vt garrulitatem non comitetur maledicentia: & *loquacitas ſermonem futilem ſtultumque efficit*, auctore Plutarcho: &, vt Philemon dixit, *auaritia quædam eſt*, *omnia loqui velle*, *& nihil audire*. Sed & *loquacitas*, vt Bernardus monet, *impudicitiæ argumentum eſt*, *& verboſus amicus ineptus & iuſtitiæ hoſtis eſt*: Quod etſi de omnibus recte & vere dicitur: tamen in magiſtratu vitium hoc inprimis culpari ſolet. Recte enim Menander apud Stobæum:

δεῖ τὸν πολιτῶν προστατεῖν αἱρούμενον
τὴν τοῦ λόγου μὲν δύναμιν οὐκ ἐπίφθονον,
ἤθει δὲ χρηστῷ συγκεκραμένην ἔχειν:
*Vrbis tenere qui gubernacula cupit:*
*Is ne inuidenda polleat facundia:*
*Sed quæ probis ſit temperata moribus.*

Et Æſchylus:

τυραννικόν τι πόλλ᾽ ἐπίστασθαι λέγειν:
*Tyrannicum quiddam ſcire, eſt multum loqui.*

---

## SYMBOLVM XXXIX.

## C. MESSII QVINCTI TRAIANI DECII.

---

*APEX*

*MAGISTRATVS*

*AVCTORITAS.*

---

[Golz. *Auctoritas rerum gerendaram telum.*]

*Summus* MAGISTRATVS APEX AVCTORITAS.

Plus

*Plus hæc poteſt, quam vis, & quam potentia.*
*Rerum gerendarum telum vel maximum;*
*Sed non niſi cuiquam datur diuinitus.*

QVod M. Cicero dixit in Catone Maiore, *apicem ſenectutis eſſe auctoritatem*, id multo rectius profecto dicitur de magiſtratu, cuius APEX vere eſt AVCTORITAS, ſed ea diuinitus ſolum data, quæ & *Maieſtas* interdum nominatur: *filia Honoris, & Reuerentia*, vt Poetis placet; qua nihil magiſtratus habet ſublimius, nihil magnificentius, nihil diuinius. Cuius pulcherrima deſcriptio extat apud Ouid. 5. Faſt. in his verſibus;

*Pulcher honor, placidoque decens Reuerentia vultu,*
*Corpora cum iuſtis impoſuere toris:*
*Hinc ſata Maieſtas, quæ mundum temperat omnem:*
*Quaque die partu eſt edita, magna fuit.*
*Nec mora: conſedit medio ſublimis Olympo,*
*Aurea purpureo conſpicienda ſinu.*
*Conſedere ſimul Pudor & Metus: omne videres*
*Numen ad hanc vultus compoſuiſſe ſuos.*
*Protinus intrauit mentes ſuſpectus honorum:*
*Fit pretium dignis, nec ſibi quiſque placet.*

Et paulo poſt.

*Aſſidet inde Ioui: Iouis eſt fidiſſima cuſtos:*
*Et præſtat ſine vi ſceptra tenenda Ioui.*
*Illa patres in honore pio, matreſque tuetur,*
*Illa comes pueris virginibuſq; manet.*
*Illa datos faſces commendat eburq; Curule:*
*Illa coronatis alta triumphat equis.*

Præclare igitur Pindarus in Olympiis: ἄλλοι ἐπ' ἄλλοις μεγάλοι· τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσιν, id eſt, *alij aliis rebus ſunt admirabiles: ſupremum vero faſtigium eſt regum.* Nam, & *animata Dei imago aut ſimulacrum in terris eſt rex & princeps: & quod imperat, pro Deo habetur*, ſicut Menander ait:

τὸ μὲν κρατοῦν νομίζεται θεός;
εἰκὼν δὲ βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος θεοῦ.

Et, vt Græcus quidam Philoſophus dicit, ὁ βασιλεὺς ἀρχὴν ἔχων ἀνυπεύθυνον, καὶ αὐτὸς ὢν νόμος ἔμψυχος, θεὸς ἐν ἀνθρώποις παρεσχημάτισται: *Rex inculpate imperans, & lex quædam animata exiſtens Dei gerit imaginem inter homines. Principi* ergo *rerum iudiciũ cœlitus datum: ſubditis obſequii gloria relicta eſt*, ſecundum Tacitum.

Sic

Sic Deus in Pſalmo ipſe nomine ſuo magiſtratus nũcupat *Deos & filios Dei*, quod nimirum auctoritas magiſtratus ſit res quædam diuina, non humana, cum Dei opus ſit, hominem aut honorare, aut onerare, ῥηΐδιον δὲ θεοῖσιν, ἠμὲν κυδῆναι θνητὸν βροτὸν ἠδὲ κακῶσαι, *Secundum Homerum in Odyſſ*: π. Neque enim *cani*, vt Cicero loquitur, *neq; rugæ repente auctoritatem arripere poſſunt, neq; nobilitas, aut potentia, aut opum magnificentia hanc ſola parit: neque virtus potius, aut ſapientia, aut honeſte acta ætas, quæ per ſe ipſa tamen honorabilia ſunt & laudabilia, fructus auctoritatis præbent extremos, ſed vt magiſtratus in ciues non modo auctoritatem, verum etiam imperium teneat: quo & metuant eum ſerui, & charum habeant omnes: hoc nimirum omne ſolius eſt prouidentiæ diuinæ, quæ plerunque efficit, vt pluris ſit magiſtratus apud ſubditos dignitas, quam omnis omnium hominum poteſtas. Auctoritas enim rerum gerendarum telum eſt maximum, quam qui habet, is facile magnam aſſequitur laudem*. Sic Q. Curtius lib. 6. *Nihil*, inquit, *valet regum poteſtas, niſi prius valeat auctoritas*. Quo etiam pertinet Vegetii illud: *Imperatori, cum Auguſti nomen accepit, tanquam præſenti & corporali Deo, fidelis præſtanda eſt deuotio, & impendendus peruigil famulatus: Deo enim vel priuatus, vel militans ſeruit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore.* Semper itaque principi opera danda eſt, vt vna cum Reipubl. forma ſuam quoque dignitatem & auctoritatem ſartam tectã æquabiliter conſeruet. Princeps enim, qui vel remittit, vel intendit ſuam poteſtatem, non iam regis aut principis dignitatem tuetur: ſed vel populo ſeruit, vel dominus fit; eoque aut contemptum ſui, aut odium in ſubditis creat: Quorum tamen peccatorum alterum ab æquitatis ſtudio humanitateque, alterum à ſui amore faſtuque profectum iudicatur: de quo pulchre alias diſſerit Plutarchus in comparatione Theſei & Romuli.

# SYMBOLVM XL.
# Q. HERENNII ETRVSCI DECII.

*FVGITIVO*
*NVLLA*
*CORONA.*

[Golz. *Timidi nunquam ſtatuerunt trophæum.*]
*Mars dubius, victorque cadit, victuſque reſurgit:*
Qui Fvgit, Hvic *merito* Nvlla Corona *datur.*

PLinius lib 8. cap. 5. ſcribit, *victum olim victori in prælio aut certamine herbam ac verbenas porrigere ſolitum fuiſſe.* Et lib. 22. cap. 3. loquens de corona obſidionali graminea: *E viridi,* inquit, *dabatur corona gramine decerpto inde, vbi obſeſſos aliquis ſeruaſſet. Namque ſummum apud antiquos ſignum victoriæ erat herbam porrigere victos: hoc eſt, terra & altrice humo & humatione etiam cedere.* Sed & Feſtus Pompeius *hoc paſtoralis vitæ indicium fuiſſe* tradit: propterea quod antiquitus curſu aut alio quouis certamine ſuperati, herbam ex eodem loco decerptam porrexerint victoriæ agnitæ ſymbolum. At vero quæ Fugitiuo aut herba dari aut corona imponi poteſt, qui haſtam & vna cum haſta omnem victoriæ ſpem abiicit, & aut fugam ſpectat, aut mortem expectat? At non ſtultum eſt, vt Xenophon ait, qui potiri volunt victoria, hos terga, & cæcas corporis partes, & armis, manibuſq; deſtitutas, per fugam hoſtibus obuertere? Nimirum non à pedibus tergoque imbelli, ſed ab armata dextra præſidium ſaluti quærendum eſt: in virtute audaciaque victoria, præda, gloria poſita: in fuga è diuerſo ignauiaque, ſeruitus, dedecus, exitiũ collocatũ, ait Paulus Æmilius lib. 1. Quod Demoſtheni olim probro datum fuiſſe legimus in eo prælio, quo Philippus Macedo Athenienſes apud Cheronæam vicit: vnde ῥιψάσπις per ignominiam ab his fuit cognominatus. Quod ipſe tamen poſtea, ſui excuſandi cauſa, verſu illo prouerbiali eludere ſolitus fuit:

*ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται*

*Qui fugerit, rurſum ille præliabitur.*

Sentiens nimirum, fieri aliquando poſſe, vt victi vincat: quoniam, vt Maro canit:

*Quondam etiam victis redit in præcordia virtus:*

Ex quo Cato ille Romanus:

*Victorem à victo ſuperari ſæpe videmus.*

Nam acies fugientes ſæpe conuerſæ victoriam obtinuerunt. Vnde Homerus ἑτεραλκέα νίκην appellat: & in Iliade, νίκη ἐπαμείβεται ἄνδρας,

*Alterna viris victoria cedit.*

Sic Ouid. lib. 1. Amorum:

*Mars dubius, nec certa Venus: victiq; reſurgunt:*

*Quoſque neges vnquam poſſe iacere, cadunt.*

Sed non video, quomodo aut quando vincat is, qui cum fugerit, victus eſt. An enim, qui fugit, rurſum prælietur, vt & rurſus fugiat? In fuga ſalutem ſperare, cum arma, quibus corpus tegitur ab hoſtibus, abieceris, an non magna eſt dementia? Hinc Romanæ olim fœminæ, eleuatis veſtibus, viros ex acie fugientes interrogarunt: num in vterum redire vellent? Neque n. fugere eſt ſapientis aut fortis viri, vt vult M. Cicero ex ſententia Stoicorum. Quo ſit, vt pulchrior ſit miles in prælio occiſus, quam in fuga ſaluus, vt docet Tertullianus in libro de fuga in perſecutione. Nam &, vt Maro ait:

*Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis.*

Et, vt Cornelius Tacitus, inter victos victoreſque nunquam fides ſolida eſt. Quod & Velleius Paterculus confirmat: Odium, inquit, certaminibus ortum vltra metum durat & ne in victis quidem deponitur, neque ante inuiſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit. Sic nimirum, ſecundum Maronem:

*Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.*

Fuga enim, quæ ſalutem nunquam reperit, irriti conatus ſtultitiam indicat, vt ſcribit Ammianus Marcellinus lib. 16. Cæterum profligare hoſtē in acie, in omni bello maximum videtur: ex quo eſt dicterium illud à fortiſſimis peritiſſimiſque Imperatoribus vſurpatum: Fugienti hoſti pontem quoq; vel ex argento conſtituendum eſſe: cuius prouerbii meminit Pōtanus lib. 1. hiſtoriar.

## SYMBOLVM XLI.

# C. VIBII TREBONIANI GALLI.

### *NEMO AMICVS IDEM, ET ADVLATOR.*

[Golz. *Præſtat habere acerbos, quam ſuaues amicos.*

*Nemo poteſt Pluto pariter ſeruire, Deoque:*
*Sic & ADVLATOR NVLLVS AMICVS erit.*

CVm omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa, quæ veri tollit iudicium, idque adulterat: tum vero amicitiæ repugnat maxime ea ſimulatio: quæ *adulatio* ſiue aſſentatio nominatur, *vetus in Republica malum*, vt Tacitus vult: propterea quod ea omnem delet veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt. Nam quoniam *amicitiæ vis in eo ſita*, auctore Tullio in Lælio, *vt vnus quaſi animus fiat ex pluribus*, qui fieri poterit, ſi ne in vno quidem vnus animus erit, idemque ſemper, ſed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim poteſt eſſe tam flexibile, & tam deuium, quam animus eius, qui ad alterius non modo ſenſum ac voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum conuertitur? Itaque NON FACILE EST EODEM ET ADVLATORE, ET AMICO VTI: vt Symbolum habet Galli Cæſaris, quod olim Phocionem quoque Antipatro reſpondiſſe memorat Plutarchus: οὐ δύνασαι, inquit, ἐμοὶ καὶ φίλῳ χρῆσθαι καὶ κόλακι: Nam quid obſecro hoc aliud eſt, quam vna opera *flare & ſorbere*, *quod haud facile factu eſſe*, dicit Plautus in Moſtellaria: ἀδύνατον δ' ἔπος ἐκβαλεῖν κραταιὸν ἐν ἀγαθοῖς δόλιον ἀστόν, teſte Pindaro, *qui fieri poſſe negat, vt ciuis doloſus, qui eſt adulator, forte aliquod, & ſincerum verbum proferat*: Quippe qui leuis eſt homo, & fallax: ad voluntatem loquens omnia, nihil ad veritatem, quo ipſo ex ſtultis facit inſanos, præſertim eos, qui adulari ſe ſinunt, & aſſentatoribus aures patefaciunt, quod plerumque faciunt ij, qui ſibimet ipſi aſſentantur, & ſe

maxi-

maxime ipſi delectant. Quo ſit, vt aſſentatio quamuis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poſſit, niſi ei, qui eam recipit, aut qui ea delectatur: ἡ μὲν γὰρ φιλαυτία τῆς φιλοκολακίας: ἡ δὲ φιλοκολακία τῆς ἀναστάσεως αἴτιός ἐστιν, Iſocrate auctore. Quomodo & Demoſthenes in Philippica oratione tertia omnem Reipublicæ calamitatem aſſentationi acceptam refert: Quæ, vt *vitiorum altrix, & veritatis corruptrix*, ita *magnæ fortunæ comes, & perpetuum malum regum ac principum eſſe* dicitur. Quæ profecto eo periculoſior eſt, quo magis ea in occulto latet, ſicut & *extremum iniuſtitiæ genus eſt, iuſtum haberi, qui iuſtus non eſt*, ſecundum Platonem. Recte igitur Bias apud Plutarchum rogatus: ecqua beſtia omnium maxime noxia foret: *Inter feras*, inquit, *tyrannus: inter cicures, adulator*. Et Antiſthenes ſatius eſſe dixit incidere ἐς κόρακας, ἢ ἐς κόλακας. Nam corui non niſi mortuos, adulatores etiam viuos deuorant: Sic & Crates ille Thebanos eos, qui cum adulatoribus viuerent, aiebat eſſe deſertos: non aliter quam vituli ſunt inter lupos. Neque enim illos adeſſe, quos oportet, neque cum is, qui adſunt, ſocietatem habere, cum ſint plerumque inſidiatores. Bion autem, *eos, qui adulatoribus auſcultarent, ſimiles eſſe* dicebat *amphoris, quæ auribus circumaguntur*. Sed & Seneca *adulatores ſuorum dominorum non tam arriſores, quam arroſores eſſe* dicit: vt vere ſint *eiuſmodi blanditiæ*, auctore Tacito, *peſſimum veri affectus venenum. Semper* enim *adulationi fœdum crimen ſeruitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt*: vt idem ſcribit Tacitus, Adeo *fallax, & crudelis res eſt adulatio*, teſte Auguſtino. *O beatum* ergo *hominē, qui nec adulatur aliquando, nec adulanti credit: qui nec decipit alterum: nec ipſe decipitur, qui deniq; nec malum facit, nec patitur*, vt ſancte omnino, & grauiter ſcribit Hieronymus ad Demetrium. Cæterum amicus blandus à vero ſecerni & internoſci tam poteſt adhibita diligentia, quam omnia fucata & ſimulata à ſinceris atque veris. De quo plura videre licet apud M. Tullium in Lælio, & Plutarchum in libro, πῶς ἄν τις τοῦ φίλου τὸν κόλακα διακρίνῃ.

## SYMBOLVM XLII.
## C. VIBII VOLVSIANI.

### SINE VANO PVBLICA FAMA.

[Golz. *Non omnino temere eſt quod vulgo dictitant.*]
*Non eſt de nihilo, quod leue muſſitat*
*Vulgus:* VANA NEC *eſt* FAMA, *vel irrita*
*Semper: Namque cito creſcit, at haud cito*
*Creſcens fama fugit: ſed viget ac volat*
*Per terras ſimul & per maria omnia.*

*Omnia quæ prodit,* SINE VANO PVBLICA FAMA:
*Crede mihi, verum dicere Fama ſolet.*

CElebratiſſima eſt vox illa Heſiodea, quæ & apud Ariſtidem in defenſione Periclis, & contra Timarchum, & apud Ariſtotelem in Nicomachicis legitur: NON OMNINO TEMERE ESSE, QVOD VULGO DICTITANT: ſeu, quodidem fere ſignificat, *rumorem publicum non fruſtra eſſe ſolere.* Sic enim ſcribit Poeta:

Φήμη γὰρ τε κακὴ πέλεται: κούφη μὲν ἀεῖραι
ῥεῖα μάλ'; ἀργαλέη δὲ φέρειν: χαλεπὴ δ' ἀποθέσθαι:
φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται: ἥν τινα πολλοὶ
λαοὶ φημίζουσι, θεὸς νυτί; ἐστι καὶ αὐτή.

*Fama malum eſt: oritur, ſurgitque celerrima: verum*
*Difficile hanc perferre, graue eſt ſedare coortam.*
*Nam non vlla quidem prorſus perit irrita fama,*
*Per populos quæcunque volat: quia numen & ipſa eſt.*

Quo dicto monemur, famam vt temere & ſine cauſa ſpargi non ſolere: licet *ea* plerumque, vt Fabius loquitur, *vnius hominis initio ſit audacia, & rumorum nutrix maligna: quæ,* ſecundum Tacitum, *in nouis cœptis validiſſima eſt*: ita nec facile eam quęquam ſubire aut negligere debere: maxime vero vulgi famam,

quæ

quæ eſt quoddam veluti multitudinis teſtimonium, & quaſi ventus popularis, qui facilime huc illuc perflatur, vt vix vlla ratione amplius reuocari queat. *Quanquam* enim *nec bona nec mala ſunt quæ vulgus putat: tamen non ſemper errat fama, ſed aliquando etiam verum eligit*, vt eſt apud Cornelium Tacitum: *eaque res maximas, vel obumbrantibus plurimis, ſilere neſcit*, Ammiano Marcellino teſte. Nam, vt Flaccus canit,

*Interdum vulgus rectum videt: eſt vbi peccet.*

Itaque *homines non minus opinione famæ, quam aliqua certa cauſa commoueri ſolent*: vt notat Cicero pro lege Manilia: &, vt in Oratore ſcribit, RVMORIS PVBLICI AVCTORITAS, INSTAR ORACVLI EST. Nam & *ſæpe, quod falſum creditum eſt, veri locum obtinet*, teſte Q. Curtio. Ex quo recte Publius:

*Ad calamitatem quilibet rumor valet.*

Sed fama vt non omnino vana, præſertim tam celebris, non quidem plane eſt contemnenda: verum ad res geſtas eorum, qui vel male vel bene audiunt, tanquam ad Lydium lapidem exigenda: ſæpe etiam oculo iudicium permittendum: & ſic ea vel vt vera probanda: vel vt falſa repudianda. Maxime vero famæ cuique bono habenda eſt ratio. Crudelis enim eſt, qui famam negligit: & contemptio boni nominis vitium eſt cum impudentia & infamia quadam coniunctum, teſte Plutarcho. Sic Liuius Dec. 1. lib. 3. Famæ ac fidei damna maiora ſunt, quã vt æſtimari poſſint. Et Ouidius:

*Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento:*
*Qua ſemel amiſſa, poſtea nullus eris.*

Et Cornificius ad Herenniũ: *Perditiſſima ratio eſt, diligere formam, & negligere famam.* Et M. Cicero in Officiis: *Negligere, quid de ſe quiſq; ſentiat, non ſolum eſt arrogantis, ſed omnino diſſoluti.* Quinimo potius non ſolum mala fama non negligenda, ſed & bona fama ab omnibus expetenda eſſe videtur: inprimis vero bonorum, quæ vere ſola gloria nominari poteſt, cuius fundamentum eſt virtus, ſine qua nihil põt eſſe laudabile. Recte enim Chryſoſtomus: *Duo*, inquit, *ſunt neceſſaria, Conſciẽtia & fama: conſcientia, propter teipſum: fama, propter proximum.* Et alibi: *Sic doctor bonam eligat vitam, ne bonam negligat famam.* At Auguſtinus: *Sicut bona conſcientia opus eſt propter Deum, & temetipſum, ita bona fama propter proximum. Crudelis eſt, qui conſcientia ſuæ confidens, famam negligit.* Cæterum *fama licet nõ maiorem, at illuſtriorem reddit virtutem*, teſte Bernardo. Sic fit, vt

*bona fama, & bona opinio omnibus ſit theſauris præſtabilior & ad perpetuitatem ſtabilior*, ſecundum Siracidem. Quod & Salomõ monet in Prouerbiis: *Melius eſt nomen bonum, quam copia diuitiarum: & bona gratia melior, quam auri vis atque argenti.* Et Publius:

*Honeſtus rumor, alterum eſt patrimonium.*

Vnum ergo hoc eſt inſatiabiliter parandum, bona fama & proſpera ſui memoria. *Contemptu enim famæ, contemnuntur virtutes*, vt ait Cornelius Tacitus lib. 4. Annal.

## SYMBOLVM XLIII.
## C. IVLII ÆMILIANI.

### NON GENS,
### SED
### MENS.

[Golz. *Generoſitas virtus, non ſanguis.*

*Non genus, at genius:* Non GENS, *ſic credere fas eſt,*
SED MENS *nobilitat nobilitata virum.*
*Quem genus, & genius pariter virtutis & artis*
*Nobilitat, vere nobilis ille vir eſt.*

MEmoratur Imperatoris cuiuſdam vetus dictum: *Nobilitas, antiqua æris poſſeſſio.* Quomodo & Demetrius Phalerius apud Stobæum *nobilitatem* vocat *antiquas diuitias, aut veterem gloriam*; & Simonides nobiles eſſe affirmat τοὺς ἐκ πάλαι πλουσίους *qui maioribus longo tempore locupletib. nati ſint*, teſte Ariſtotele in libro de nobilitate. Cum nobilitas ſine diuitiis aut opibus ſplendida ſit miſeria: & *is demum miſer ſit*, ſecundum Accium, *cuius nobilitas miſerias nobilitat, quæ paupertate ſæpius intercidit.* Sed multo verius profecto *nobilitas* vocatur *antiqua virtutis poſſeſſio.* Quandoquidem, vt Satyricus canit;

*Tota licet veteres exornent vndique ceræ*
*Atria: nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.*

Et, vt Claudianus:

VIRTVTE DECET, NON SANGVINE, NITI.

*Sola* enim *apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus: ſola apud Deum libertas, non ſeruire peccatis*, vt præclare ſcribit Hieronymus

ronymus in Epiſt. ad Celan. *Neque* ſane *aliter ſit integra atq; perfecta nobilitas, quam ſi quis dedignatur ſeruire vitiis, & ab his minime ſuperari*, ſecundum Chryſoſtomum: Nam & Plutarchus, in libro contra nobilitatem: ἡ ὄντως εὐγένεια, inquit, ὁμοίωσις δικαιοσύνης ἐστιν. *Nobilitas veriſſima eſt ſimilitudo iuſtitiæ.* Et Socrates cuidam, quid nobilitas eſſet, ſciſcitanti, *Animæ*, ait, *& corporis bona temperies.* Et Democritus: κτηνέων μὲν εὐγένεια ἡ τοῦ σκήνεος εὐσθένεια· ἀνθρώπων δὲ ἡ τοῦ ἤθους εὐτροπία: Pecudum nobilitas eſt bona & firma corporis habitudo: hominũ aũt morum bonitas. Quo fit, vt nobilitas nulla ſit hominis mali & improbi: qui vitiis duntaxat ſuis nobilitatus eſt, vt Epicharmus vult, cũ indigna poſteritas laudes quodammodo abneget ſui generis, vt Caſſiodori verbis vtar. Nam verum eſt Plautinum illud in Mercatore:

*Qui bono ſunt genere nati, ſi ſunt ingenio malo,*
*Suapte culpa ex genere capiunt genus, ingenium improbant.*

Sic & Accius apud Nonnium, ex quo Symbolum hoc ſumptũ eſſe apparet:

*Non genus*, inquit, *virum ornat: generis fortis ſed vir eſt loco.*

Quis enim, ſecundum Satyricum, generoſum dixerit hunc, *qui*

*Indignus genere, & præclaro nomine tantum*
*Inſignis?* ———
*Nam quid imaginibus, vel auitis fulta triumphis*
*Atria, quid pleni numeroſo conſule faſti*
*Profuerint? cui vita labat, perit omnis in illo*
*Nobilitas, cuius laus eſt in origine ſola.*

vt Lucanus ſcribit ad Piſonem. Sic Antiſthenes eoſdem ſibi videri nobiles, & virtute præditos dixit: nobilitatem ſcil. in vna collocans virtute. Et Velleius Paterculus *optimum quemq;* ait *eſſe nobiliſſimum: & in cuius animo virtus inſit, ei plurimum tribuendum* Et Menander in Cnidia eundem *eſſe* dicit *ingenuum, qui ſit bonus; & ſpurium, qui malus.* Sic enim ait:

οὐδὲν γένους γένος μὲν οἶμαι διαφέρειν:
ἀλλ' εἰ δικαίως ἐξετάσεις, ὁ γνήσιος
ὁ χρηστός ἐστιν: ὁ δὲ πονηρὸς, καὶ νόθος.

Sic & Stoici Platonem ſecuti, *ſolos ſapientes nobiles eſſe*, volunt, quemadmodum & Euripides in Alexandra, *nullam inter malos, ſed bonos duntaxat nobilitatem eſſe* contendit, cum

 ait:

ait: οὐκ ἔστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια, παρ᾽ ἀγαθοῖσι δ᾽ ἀνδρῶν. Et in Inone *fortes natura & iuſtos, quamuis e ſeruis natos, nobiliores eſſe*, dicit, *quam inani gloria tumidos*: τοὺς μὲν inquit ἀνδρείους φύσιν, καὶ τοὺς δικαίους, τῶν κενῶν δοξασμάτων κἂν ὦσι δούλων, εὐγενεστέρους λέγω. *Optima* igitur *nobilitas eſt, quam virtus nobilitat*, cum ſecundum Euripidem in Hecuba, ἐπὶ μεῖζον ἔρχεται τῆς εὐγενείας τοὔνομα τοῖσιν ἀξίοις. Peſſima vero eſt, ſecundum Theodectem, Η εὐγένεια περιστάτοις χρωμένη ἀναξίοις, vt eſt apud Stobæum, quæ non modo non eſt nobilitas, ſed & ignobilitas ſumma & maxima. Quid enim aliud eſt nobilitas ſine virtute, quam inanis quidam fumus obſoniorum? vt Thrigerus loquitur. Et quo obſecro nobilitas ipſa, niſi morum adſit benignitas & humanitas? Siquidem auctore Herodiano, fortunæ munera etiam parũ dignos exornant: animi virtus propriam cuiq; gloriam conciliat: & claritas quidem generi, diuitiæque, etſi beatorum propria putantur, minime in ipſis, vtpote ab aliis tradita, laudantur: humanitas autem & benignitas, etſi ipſæ quoque per ſe admirationi ſunt, tamen habenti quoque laudem accumulant. Quo etiam referenda eſt ſententia illa Aſtydamantis apud Stobæũ, Serm. 84.

Γένους ἔπαινός ἐστιν ἀσφαλέστατος,
Τὸ ἄνδρ᾽ ἐπαινεῖν, ὅστις ἂν δίκαιος ᾖ,
Τρόπους τ᾽ ἄριστος, μόνον εὐγενῆ καλεῖν.
*Laus generis eſt & ſanguinis tutiſſima,*
*Laudare iuſtum & moribus virum optimum;*
*Solumque ſic eum vocare nobilem.*

Sic magnorum principum virtutibus ſumma ſciendi nõ eſt, vbi quiſque ſit genitus, ſed qualis in republica fuerit, teſte Fl. Vopiſco in Aureliano. Pulchre quoque Caſſiodorus in epiſt. lib. 8. Si inquit, inueteratæ & per genus ductæ diuitiæ nobiles faciunt: multo magis præſtatior eſt, cuius origo theſauris prudentiæ locuples inuenitur. Patet itaque ex his omnibus, quæ dixi, verum eſſe Solonis illud apud Auſonium:

*Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.*

Cum ſecundum Pythagoram, is ſit nobilior, à quo genus incipit, ignobilior autem, in quo deſinit genus. Quomodo & M. Tullius Cicero in Saluſtium ſe virtute ſua maioribus præluxiſſe gloriatur, & Iphicrates tanquam ignobilis vituperatus: Ego, inquit, genus meum inchoabo. Sic Chryſoſtomus ſuper Matthæum: Melius eſt, inquit, vt in te glorientur parentes, quam tu in parentibus,

*Nam,*

*Nam*, vt Naſo canit, *genus*, *& proauos*, *& quæ non fecimus ipſi*,

*Vix ea noſtra voco.*

Et, vt Seneca in Hercule furente;

*Qui genus iactat ſuum, Aliena laudat.*

Sic Calenus in Orat. ad artes: *Qui*, inquit, *ſplendore ſe generis efferunt: ij quoque cum bonis careant, quæ propria ſunt, ad genus ipſum oſtentandum confugiunt, cum ne id quidem intelligant ſplendori generis, quo admirabiles videri volunt, perinde ac ciuitatum numiſmatis vſu venire, quæ cum apud ciuitates ipſas probata plurimum valeant, apud alias tamen gentes adulterina haberi, & nihil fieri cernuntur.* Sed temperare mihi non poſſum, quin aſcribā huc egregium locum Phalaridis ex Epiſtola ad Axiochū: ἐγὼ, inquit, μίαν εὐγένειαν ἀρετὴν οἶδα· τὰ δ' ἄλλα πάντα τύχην, καὶ γένοιτ' ἂν, ὁ μὲν ἐκ φαύλων ἀγαθὸς, καὶ βασιλέων, καὶ πάντων εὐγενέστατος· ὁ δ' ἐξ ἀγαθῶν φαῦλος, αὐτός τε αὐτοῦ, καὶ τῶν ἐπαινολάτων δυσγενέστατος. ὥστε ψυχῆς ἔπαινον αὔχει, μὴ προγόνων τεθνηκυῖαν εἰς ἀδοξοτέρους εὐγένειαν: *Ego, præter virtutem, nullam agnoſco nobilitatem: reliqua vero cuncta æſtimo fortunam. Nam qui humili genere natus eſt, vt bonus, ita regū, & omnium hominum nobiliſſimus fieri poteſt, contra qui illuſtri genere, & bonis parentib. natus eſt: malus fieri poteſt: ac tum ſeipſo, tum viliſſimis quibusq; ignobilior. Gloriare igitur, ſi de nobilitate gloriari vis, non de generis, quod obſcurare facile poteſt à maiorum virtute degenerans poſteritas, ſed de animæ potius nobilitate in qua vera eſt laus & gloriatio.* Similis eſt locus apud Plutarch. in Syllæ & Lyſandri cōparatione: *Vt venator non id quod cane natum ſit, ſed canem requirit: & rei equeſtri deditus non quod equo prognatum ſit, ſed equum: ita & ciuilis boni arbiter procul à ſcopo aberrarit, ſi non quis ſit, ſed ex quibus ortus princeps quærat.* Quando ipſi etiam Spartani quoſdam reges abdicare coegerunt, vt indignos regno & nullius precii homines. Quod ſi vitia etiam in nobilib. genere inhoneſta ſunt: vtique etiam ſine nobilitate virtus laudem meretur. Plura de nobilitate, vide in oratione Marij apud Saluſtium in bello Iugurthino: quam longum eſſet huc referre.

SYM-

## SYMBOLVM XLIV.
## P. LICINII VALERIANI.

*NON*
*ACERBA*
*SED*
*BLANDA.*

[Golz. *Amicum inimicum fugito.*]
*Si dona non ſunt dona, quæ dant*, HOSTIVM
*Nec* VERBA, *quæ dant, verba, ſed ſunt* VERBERA:
*Plagæ fideles ſunt amici: ſed mali*
*Proterua ſunt inimici ſemper oſcula:*
ACERBA *ſic* NON VERBA, BLANDA *ſed* TIME.

SOphoclis adagium eſt, ab Aiace non quidem natum ſed tãquam vetus ab eo relatum:

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα.
*Immune munus hoſtis, ac inutile.*

Quod T. Liu. l. 5. Dec. 1. hoc modo expreſſit: *Donum inimicorum veneno illitum eſt.* Cui reſpõdet Plautinum illud in Milite:

*In mala vxore atque inimico, ſi quid ſumas, ſumptus eſt.*
*In bono hoſpite, atq; amico quæſtus eſt, quod ſumitur.*

Quæ autem ratio munerum, eadem eſſe ſolet verborũ hoſtilium, quæ non tam verba ſunt, quam verbera, vt vulgo dicitur. Nam *malitioſa* eiuſmodi officiorum *blanditia*, vt Tacitus loquitur, *peſſimum veri affectus venenum*: &, vt Plautus; *merus viſcus eſt, & melle litus gladius.* Siquidem &, ſecundum Mimum:

*Habet ſuum venenum blanda oratio:*

Et vt Naſo canit:

*Impia ſub dulci melle venena latent.*

Sic fit nimirum, vt MELIORA ſint AMICI VVLNERA, QVAM INIMICI OSCVLA, teſte Solomone. Quomodo & Seneca monet, NON ACERBA, SED BLANDA VERBA TIMENDA eſſe. Nam, vt Publius ait,

*Bonitatis verba imitari maior malitia eſt.*

Quod vſque adeo verum eſt, vt ne in amico quidem blanditia nimia & aſſentatio careat ſuſpicione, quæ plerunque cum *ſimulatione* aut *perfidia* coniuncta eſt: qua *nullum eſſe vulnus a-*

*trocius*

*trocius poteſt*, ſecundum Sophoclem. Itaque vt callida & occulta illa inimici aſſentatio, quæ ſemper inſidioſa eſt atque captioſa; cauenda eſt diligenter, ita libera amici recte conſulentis admonitio patienter accipienda, non repugnanter: adeoque omnis adulatio, vitiorum adiutrix, procul amouenda, quæ non modo non amico, nedum inimico, ſed ne libero quidem homine digna eſt. Nam cuius aures ſunt clauſæ veritati, vt ab amico verũ audire nequeat: huius profecto ſalus deſperanda eſt. Scitum eſt enim Catonis illud, vel potius Socratis, à quo Cato mutuatus eſt: *multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum ſæpe dicere, hos nunquam*, vt teſtis eſt Marc. Tullius Cicer. in Lælio. Et apud Platonem ſcribitur, ei, qui ſit futurus incolumis, id eſt, animo incorrupto, aut fideliſſimis amicis, aut acerrimis inimicis opus eſſe. Sic igitur ſuſpectus eſt vterque, & amicus, & inimicus blandus; ac multo quidem magis amicus blandus quam inimicus: in *quo collocata animi fiducia vere eſt*, vt Solomon loquitur, *dens vitiatus, & pes luxatus.* Quam ob cauſam Antigonus rex deos precari quotidie ſolitus fuit, vt eorum præſidio ab amicis defenderetur ſuis, quod ab inimicis, adhibita diligentia, facile ſibi ipſe cauere poſſet. Pertinet huc Ambroſii ſententia in Officiis: *Beneuolentia facit, vt inimici vulnera, quam amici oſcula ſint vtiliora.*

---

## *SYMBOLVM XLV.*
## P. LICINII GALLIENI.

---

*PROPE*
*AD SVMMVM*
*PROPE*
*AD EXITVM.*

---

[Go'z *Omnia decreſcunt vbi, quo creſcant, non habent.*]
*Summa petit mors, & liuor*: SVMMISQVE NEGATVM
STARE DIV: *finem res habet illa ſuum.*

NOtum eſt Hippocrateum illud præceptum, ὅτι αἱ ἄκραι τῶν εὐεξιῶν σφαλεραὶ, ὥσπερ αἱ τῶν ἀληθῶν. Et Lucanus Poeta:

SVMMIS, inquit, NEGATVM STARE DIV: *nimioque graues ſub pondere lapſus.* Sic & Liuius, *eo rem perueniſſe Romanam affirmat, vt iam magnitudine laboret ſua.* Et Horatius:

*Suis & ipſa Roma viribus ruit.*

Quippe ſecundum Tacitum, *virtute quàm pecunia res Romana melius ſtetit.* Fit enim natura, vt QVICQVID AD SVMMVM VENIT, AD EXITVM PROPE SIT, ſecundum Senecam. Quæ verba, Symboli vice, vſurpaſſe fertur P. Licinius Gallienus Cæſar: Significans, tunc maxime rei alicuius declinationem metuendam eſſe, cum ad ſublimitatem & faſtigium ea euecta ſit, quod rebus omnibus in ſummo ſtantibus accidere ſolet. Sic enim humana fert conditio: vt cum faſtigium ſuum longe ſupergreſſa videatur, continuo concidat. Quod pulchre admodum & eleganter ita explicat C. Velleius Paterculus in fine lib. 1. *Alit*, inquit, *æmulatio ingenia, & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque, quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum: difficiliſq; in perfecto mora eſt: naturaliterque, quod procedere non poteſt, recedit. Et, vt primo ad conſequendos, quos priores ducimus, accendimur: ita vbi aut præteriri, aut æquari eos poſſe deſperauimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, & quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit, & velut occupatam relinquens materiam, quærit nouam: præteritoq; eo, in quo eminere non poſſumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus: ſequiturque, vt frequens ac mobilis tranſitus, maximum perfecti operis impedimentum ſit.* Hæc ille. Sed & non male huc quadrat vſitatum illud diſtichon, quod ex Græco Pallade ſumptum eſſe videtur:

*Optima ſunt homini mediocria*: SVMMA PERICLIS
OBVIA: *contemptum ſordida vita parit.*

## SYMBOLVM XLVI.
## SALONINI VALERIANI.

*MAGNVM*
*SATELLITIVM*
*AMOR.*

*Aut odij minus, aut plus rex mereatur amoris*
*Quo ſit poteſtas tutior.*
*Nil odio grauius populi: ſed magna poteſtas,*
MAGNVM SATELLITIVM *eſt* AMOR.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0112-2

PRæclare M. Tullius Cicero in libro 1. de Finibus: AMICITIA, inquit, PRÆSIDIVM FIRMISSIMVM. Et in eodem libro: *Laus & charitas ſunt vitæ ſine metu degendæ præſidia firmiſſima* Cum quo congruit Symbolum iſtud: MAGNVM AMOR SATELLITIVM. Quo docemur, eum, qui tuto regnare vult, operam dare debere, vt *beneuolentia magis quam armis ſtipatus regnet*, ſecundum Cleobulum. Nam, vt Seneca ait in lib. de Clem. *Vnum eſt regi inexpugnabile munimentum, amor ciuium.* Et Plutarchus in Arato: οὐδὲν ἰσχυρότερον φυλακτήριον ἀνδρὸς ἄρχοντος, οἷον ἀληθινὴ καὶ βέβαιος εὔνοια: *Nulla eſt principis cuſtodia firmior, quam vera ac ſtabilis ciuium beneuolentia.* Et ibidem: *Princeps fidelitate ſuorum & amore fortius tutius quam habet nihil.* Nam, vt Claudianus canit;

*Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela*
*Quam tutatur amor: non extorquebis amari:*
*Hoc alterna fides: hoc ſimplex gratia donat*

Et Micipſa rex Numidarum apud Salluſtium regnum tradens filiis: *Non exercitus*, inquit, *neque theſauri præſidia regni ſunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, & fide parantur. Fruſtra* enim *ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit*, vt C. Plinius Secundus duxit. Nam, & ſecundum Liuium, *rege interempto fugiunt ſatellites*: & ſecundum Senecam *tutius volentibus, quam coactis, imperatur.* Sic fit, *vt imperium id longe ſit firmiſſimum, quo obedientes gaudent ſubditi: adeo vt ne quidem imperium ſit vllum experiendum, cuius vis eſt in conſenſu obedientium*, eodem Liuio auctore. Nam *& vincit malos pertinax bonitas*, teſte Seneca: *miſerumque eſt inſtrumentum ſenectuti, recordatio crudelitatis*, vt Cæſar dicere ſolitus eſt. Itaque *vt optabile eſt, plus fauoris mereri: ſic proximum, odii minus*, vt Fabius loquitur *Perpetua* enim *res eſt, odiſſe ſine cauſa*: adeoque *nullum malum grauius publico odio*, ſecũdum Senecam. *Semel* enim *inuiſum principem, ſeu bene, ſeu male facta premunt*, auctore Tacito. Sed & *magnum argumentum eſt virtutis in principe, ſi libenter eũ ſequantur ſubditi, & in periculis vna perſeuerent conſtanter*, vt Xenophonti placet. Sic fit, *vt fidiſſima quoque ſit principis cuſtodia: virtus ipſius atque innocentia*, teſte Plinio: quemadmodũ & *ad ducis laudem ſubiectorum pertinet virtus*, vt monet Vegetius li. 3. Quæ omnia vno veluti faſce pulchre admodum & breuiter complexus eſt Iſocrates ad Nicoclem ſcribẽs de regno adminiſtrãdo: φυλακὴν, inquit, ἀσφαλεστάτην ἡγοῦ τοῦ σώματος εἶναι τήν τε τῶν φίλων ἀρετὴν, καὶ τὴν τῶν πολιτῶν εὔνοιαν, καὶ τὴν σαυτοῦ φρόνησιν.

διὰ

διὰ γὰρ τούτων καὶ κτᾶσθαι, καὶ διασώζειν τὰς τυραννίδας μάλιστ' ἄν τις δύναιτο: *Corporis cuſtodiam tutiſſimam eſſe puta, tũ in virtute amicorũ, tum in beneuolentia ciuium, tum in prudentia tua eſſe collocatam: Hæc nimirum ſunt, per quæ imperium facillime & paratur & conſeruatur.* Et Plutarchus in Dione: *Non metus ac vis, non caterua iuuenum ſtipantium, non immenſum barbarorum ſatellitium, ſunt adamantina iſta principum vincula: ſed beneuolentia, ſtudiũ, gratificandique voluntas ex virtutis reuerentia ciuibus ingenerata: quæ, vt rigidis iſtis & duris vinculis molliora eſſe videantur, ſunt tamen ad perpetuitatem regni firmiora.* Et Polybius libr. 4. *Tantum manſuetudo & benignitas principis poteſt: vt non ſolum cum ſunt præſentes, verũ etiam maximo interuallo diſiuncti, quoſdam quaſi fomites amoris & beneuolentiæ erga ſe in pectoribus hominum relinquant.* Et Diodorus Siculus lib. 13. *Eos qui cæteris præeſſe, vereq; principes haberi contendunt, inprimis oportet, non tam armis corpora ſibi circum vndiq; munita protegere, quam bonis artib. & clementia ad rerum faſtigia ſubniti. Nam qui pauore coacti, & impulſi imperata faciunt: cuncta ad id obſeruantes momenta, cum primum per occaſionem licet, repente inuiſi imponi iugum ceruicib. excutere properant. Si quos vero manſuetis moribus & ingenio miti principes nacti fuerint: firmo in eos amore conciliati, non imperium modo, quod geſſerint, illis contingere ac confirmare, verum longe indies amplius reddere nituntur: perinde ac clementia & virtute imperantium parendi voluntatem & ſtudia mortalibus exprimere.*

## *SYMBOLVM XLVII.*

## C. IVNII CASSII POSTHVMI.

*AVDENTES*
*FORTVNA*
*TIMET.*

[Golz. *Fortes Fortuna formidat:*]
AVDENTES METVIT, *metuentes* FORS *premit audens:*
*Aude aliquid, ſic te Fors ſinit eſſe aliquid.*

*Si fortuna iuuat, Deusq; fortes:*
*Cuiq; eſt fortiter hæc periclitanda.*

FOR-

Fortem Fors Ivvat? *an magis, quod aiunt*
*Fortunam iuuat ipſe fortis? vtrum*
*Vtrum vis, ego fabor eſſe verum.*
*Nam fortuna fauet benigna forti,*
*Fortunam bene qui periclitatur:*
*Ignauum velut odit illa pectus,*
*Quod nil fortiter audet experiri.*

*Ignauos Fortuna premit, metuitq; viciſſim*
*Fortes: vt faueat Fors tibi, fortis eris.*

FORTES *fortunam adiuuare*, vetus eſt adagium, paſſim ab auctoribus fere omnibus celebratum. Sic enim apud Maronem legitur: *Audentes fortuna iuuat.* Et apud Terentium: *Fortes fortuna adiuuat.* Et Liuius: *Fortuna virtutem ſequitur.* M. Cicero autem lib. 2. Tuſc. *Fortes*, inquit, *non modo fortuna adiuuat*, vt eſt in veteri prouerbio: *ſed multo magis ratio.* Et Cornificius ad Herennium: *Fortibus fortuna adiumento eſſe ſolet.* Sic Ennius apud Macrobium:

*Fortibus eſt fortuna viris data.*

Et Naſo lib. 2. Faſt.

*Audentes forſque Deuſque iuuat:*

Et Cornelius Tacitus: *Deus fortioribus adeſt*: Nam, ſecundum Plutarchum, *nihil audentibus eſt inexpugnabile, nihil ſatis munitum aduerſus animoſos. Nam fortuna cum benigna ſemel arriſerit, audentes ſecundo paſſu ſubſequitur.* Sed nec ab eo Senecæ illud diſcrepat in Medea:

Fortvna Fortes Metvit, Ignavos Premit.

Quo Symbolo vſus eſt C. Iunius Poſthumus Imperator: monens nimirum illud, fortiter vnicuiq; fortunam periclitandã eſſe. Quãquam enim interdum fortuna etiam ignauos fouet, vt ſtultos eos ſcil. faciat: tamen ea magis fauet iis, qui fortiter fortunam periclitari, quam qui nihil experiri audent. Nam, vt Sophocles ait in Minoe,

Οὐκ ἔστιν τοῖς μὴ δρῶσι σύμμαχος τύχη:

*Qui nil agunt, his non fortuna fert opem.*

Quemadmodum enim is, *qui ventum omnem cauet, nunquam ſerit, nedum metit*, ſecundum Salomonem: ita qui fortunam nimiũ cauet, ſeipſum decipit ac fruſtratur. Sic fit, vt metus cuiuis maiori & laudabiliori rei ſuſcipiendæ magno plerunque ſit impedimento. Quid enim homo meticuloſus nõ ſolum in

militia pro patria, ſed & in Senatu domi, aut in concione populi, aut in iudicio, graui aduerſario exiſtente, pro Republica & cauſa iuſta audebit, & faciet? *Aude aliquid, ſi vis eſſe aliquid,* inquit Satyricus Et Naſo:

*Caſus vbique valet: ſemper tibi pendeat hamus:*
*Quo minime credis, gurgite piſcis erit.*

Et Terentius:

*Plerunque caſus comitatur induſtriam.*

Quandoquidem, teſte Tacito, *optimi mortalium altiſſima cupiunt.* Contra autem vix magna cupiunt, qui parua deſperant. Sic & Euripides monet in Hecub.

Τολμᾶν ἀνάγκη κἂν τύχης, κἂν μὴ τύχης.
*Seu ſors cadat, ſeu non, audere conuenit.*

Et Menander in Temeno apud Stobæum:

Τολμᾶν χρεὼν ὁ γὰρ ἐν καιρῷ πολὺς μόχθος
Εὐδαιμονίαν τίκτει θνητοῖσι τελευτῶν.
*Audere fas eſt: nam labor multam parit*
*Felicitatem congruus mortalibus.*

Quo etiam pertinet Senecæ illud in Medea:

*Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.*

Etenim audere is mihi recte videtur, qui nihil temere deſperat aut reiicit, quod quantum momenti habeat in re præſertim militari: ſatis hoc Miltiadis, Themiſtoclis, Luculli Alexandri Magni, & aliorum ſummorum virorum res geſtæ declarant, qui magnos exercitus ſæpenumero exigua manu oppreſſerũt. Adeo verum eſt Menandri illud:

Οὐκ ἔςι τόλμης ἐφόδιον μεῖζον βίου:
*Audacia maius vitæ haud viaticum eſt.*
Ὅςις δὲ τόλμῃ πρὸς τὸ δεινὸν ἔρχεται,
Ὀρθὴ μὲν ἡ γλῶσσ᾽ ἐςὶν, ἀσφαλὴς δὲ νοῦς:
*Periclitatur fortunam qui fortiter,*
*Mens firma, lingua recta ſemper huic manet:*

Vt eſt apud Sophoclem in Creuſa, quem refert Stobæus ſerm. 7. Quibus omnibus clauſulæ loco adiicienda eſſe videtur Xenophontis illa in Cyro ſententia: *Illud*, inquit, *mihi in mentem venire ſolet, eos plerunque turpiter ac miſere mori, qui nihil audentes, quouis modo, vt viuere liceat, ab hoſtibus impetrant. Contra vero, quicunque moriendi omnibus communem ac neceſſariam legẽ eſſe animo reputantes, neq; certamine, neq; periculo vllo propoſito, honeſtam mortem deprecantur: eos ego ad ſenectutem peruenire video, & quoad viuunt, beatioris multo vitæ muneribus fungi.*

SYM-

## SYMBOLVM XLIIX.
## M. AVRELII CLAVDII.

REX
VIVA
LEX.

[Golz. *Quod, dum priuatus eram, nec leges curabam, abſtuli: hoc factus Imperator reſtituo.*]

*Imperet vt bene* REX *ſic* LEX ANIMATA *ſit ille:*
*Qui paret legi, rex magis iſte placet.*

M. Aurelium Claudium Cæſarem ſcribit Trebellius Pollio principem fuiſſe optimum atque iuſtiſſimum: quem S. P. Q. R. ante imperium, & in imperio, & poſt imperium ſemper habuit chariſſimum. Is legum, quas tulit in imperio, obſeruantiſſimus fuit, vt nimirum exemplo ſuo & veluti Symbolo doceret, REGEM VIVAM LEGEM ESSE: quemadmodum & Ariſtoteles *νόμον ἔμψυχον τὸν βασιλέα* appellat: qui, vt parens, ita cuſtos eſt legum Optimus Maximus. Itaque cum inter alias leges etiam edicto vetuiſſet, ne ab Imperatore res alienæ peterentur: (Nam eas quoque ab Imperatore donari poſſe communis erat opinio) muliere quadam, cuius prædium ipſe ante imperium ex dono Imperatoris acceperat, apud ſe conquerente, à Claudio Magiſtro equitum factam ſibi eſſe iniuriam, tũ ille: *Quod*, inquit, *Claudius, dum priuatus erat, nec leges ita curabat, abſtulit: hoc factus Imperator reſtituit.* Senſit nimirũ ſapientiſſimus Imperator, *nihil magis decere principẽ, quã ſi ſecundum leges viuat, & morib. exemploq́ue ſuo ita imperiũ doceat,* ſecundum Pittacum. Nam verum eſt, ꝙ Solon dixit. *Si princeps ſecũdũ leges viuat, vniuerſam Rẽp. optime tunc regi; adeoq́ue ſingulos ciues in officio contineri poſſe.* Quanquam enim princeps legibus quodammodo ſolutus ſit: *in caſu* ſcilicet *opportuno*, vt Liuius loquitur, cuius rei rationem reddit Ariſtot. lib. 3. Polit. c. 9. tamen ciuile eſt, eum parere legibus: & *re vera maius imperio eſt, legibus ſubmittere principatum*, vt præclare reſcripſerunt ſummi Imperatores Theodoſius, & Valẽtinian. *Qui enim legib. ſeruit,*

*Deo ſeruit*, vt Plato ſcribit. Sic & Ariſtoteles de R.. ..b. *Qui*, inquit, *legem præeſſe vult, is Deum vult præeſſe: qui vero hominem, is belluam præficit, cuiuſmodi res eſt cupiditas, quæ ſæpe animos hominum: & voluntates etiam in viris optimis peru.rtit: At lex eſt mens ſine cupiditate.* Et Pauſanias, *leges* ait *hominum, non homines legum eſſe dominos oportere.* Quo etiam referri debet Agathonis illud dictum, qui principem trium meminiſſe debere vult: primum, *quod imperet hominibus*: deinde, *quod ſecundum leges imperet*: poſtremo, *quod non ſemper imperet.* Sed & Pythagoras eam Rempublicam in optimo ſtatu eſſe affirmat, in qua ciues obediant magiſtratui: magiſtratus autem legibus. Et Bias apud Plutarchum, *optimam ciuitatem eam* vocat, *in qua omnes legem non minus, quam tyrannum, timent.* Et Plato omnibus triumphis maiorem, glorioſioremque eſſe affirmat obtemperationẽ honeſtis legibus atq; bonis inſtitutis, quam & Ariſtoteles *primam virtutem primamque iuſtitiam:* & Æſchylus, *matrem ac procreatricem omnis fœlicitatis* recte appellat. Et nota eſt vox illa Pittaci apud Auſonium:

*Pareto legi, quisquis legem ſanxeris.*

Quod præclare magiſtratus ſuos docuerunt Athenienſes & Lacedæmonij, quorum iuramentum hoc fuiſſe legimus, ſe imperaturos ſecundum leges. Recte itaque Themiſtocles Simonidi roganti, vt in negotio quodam ſuo iniuſtam pronuntiaret ſententiam: *Neque tu*, inquit, *bonus Poeta fores, ſi præter Muſicæ modulos caneres, neque ego princeps bonus, ſi contra leges pronunciarem.*

## *SYMBOLVM XLIX.*

## M. AVRELII QVINTILLI.

*HONESTA MORS,*
*HONESTA*
*TVRPITVDO.*

[Golz. *Honeſta turpitudo mori pro bona cauſa.*]
HONESTA TVRPITVDO, MORS HONESTA *fit,*
*Quam ſponte pro cauſa bona dux oppetit.*
*Bis emori, ſed eſt mori ſic turpiter.*

Publianum

PVblianum hoc Symbolum eſt, à Quintillo Cæſare vſurpatum: EST HONESTA TVRPITVDO, PRO BONA CAVSA MORI. Cum quo congruit Alexandridæ illud: καλὸν ἀποθανεῖν, πρὶν θανάτου δρᾶν ἄξιον, hoc eſt, *Pulchrum mori, morte indignum.* ſeu, vt Ariſtoteles exponit, *Honeſtum eſt mori, cum nihil morte dignum feceris.* Et Menandri hoc:

*ζῆν βουλόμενος μὴ πράττε θανάτου ἄξια:*
*Ne morte facito digna, ſi vis viuere.*

*Neque* enim *mori turpe eſt, ſed mori ſolum turpiter*, ſecundum Menandrum:

*τὸ μὲν θανεῖν οὐκ αἰσχρὸν, ἀλλ' αἰσχρῶς θανεῖν:*
*Haud turpe mori equidem, mori ſed turpiter.*

Quinimo *ſatius eſt mori, quam viuere turpiter*, vt Sophocles ſcribit:

*θανεῖν ἄριστόν ἐστιν: ἢ ζῆν ἀκλεῶς;*
*τὸ μὴ γὰρ εἶναι κρεῖσσον, ἢ τὸ ζῆν κακῶς.*
*Præſtat mori, quàm turpiter ſic viuere:*
*Superſtitem non eſſe, quàm male viuere.*

Et Æſchylus:

*Βίου πονηροῦ θάνατος εὐκλεέστερος:*
*Mors glorioſior, quam vita ſit mala.*

Sic Cornel. Tacitus: *Honeſta mors, turpi vita potior.* Et Claudianus de bello Gildon.

*Nonne mori ſatius, vitæ quam ferre pudorem?*

Quod & Epicuro ſic placuiſſe M. Cicero ſcribit in Epiſtolis, quem dixiſſe refert: οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς, καὶ δικαίως ζῆν, id eſt, *non poteſt iucunde niſi honeſte, & iuſte viui*: qui ſane licet ſit φιλήδονος, nihilominus φιλόκαλος, καὶ φιλοδίκαιος eſſe ſtudeat: omneſque virtutes & colat, & retineat. Sed inprimis honeſta eſt mors pro dignitate & libertate patriæ, quæ nunquam fugienda, ſæpe etiam appetenda eſt: adeoq; patriæ, à qua omnia accipimus, omnia redonanda. Sic enim M. Cicero de Finib. li. 3. *Laudandus eſt*, inquit, *is, qui mortem oppetit pro Republica, quod doceat chariorem eſſe patriam debere, quam noſmetipſos. Eſtque illa vox inhumana & ſcelerata eorum, qui negant ſe recuſare, quo minus ipſis mortuis terrarum omnium deflagratio conſequatur.* Et ad Herennium: *Qui patriæ pericula ſuo periculo expetunt, hi ſapientes putandi ſunt, cum & eum, quem debent, honorem Reipubl. reddunt: & pro multis perire malunt, quàm cum multis.* Et Liuius, *Mortem pro patria præclaram eſſe fateor. Præclara enim hæc & glorioſa mors eſt, quæ ſolis viris fortibus contingit: cæteriſque mors om-*

*nibus mortalibus eſt fatalis, ignauis æque ac fortibus,* teſte Dionyſ. lib. 6. Nam, vt Plautus in Captiuis ait:

*Qui per virtutem peritat, non interit.*

*Turpis* autem *fuga mortis omni morte eſt peior*, teſte Cicerone Philip. 8. Stat igitur ſententia illa Euripidea, ἢ θανεῖν ἢ ζῆν καλῶς: *aut moriendum, aut viuendum honeſte eſſe.* Quam iiſdem fere extulit verbis Sophocles in Aiace:

ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρή.

Nam vt Æſchylus ait apud Stobæum:

——ἔγω γε τοὺς καλῶς τεθνηκότας
ζῆν φημὶ μᾶλλον, ἢ βλέπειν τοὺς μὴ καλῶς:
*Qui mortui ſunt, ego ſane hos bene viuere*
*Plus dixerim, quam qui viuunt adhuc male.*

Quo pertinet Epigramma illud noſtrum ex Inſomniis:

*Non eſt turpe mori: ſed illa demum*
*Mors eſt, viuere turpiter, moriue:*
*Mortes mors miſera iſta vincit omnes.*

---

## SYMBOLVM L.

## L. DOMITII AVRELIANI.

---

*QVO*
*MAIOR*
*EO*
*PLACABILIOR.*

---

[Golz. *Sublimius eſt, regere aliquam Italiæ partem, quam trans Alpes regnare.*]

QVO MAIOR, MAGIS HOC *dux* EST PLACABILIS HOSTI.

*Multa licere ſibi, pauca libere probat.*

MInerua apud Euripidem in Troadibus laudat ὀργὰς ἠπίους id eſt, *iras placabiles.* Et Bacchus apud eundem in Bacchis iubet Pētheum, ἀσκεῖν σώφρονα δυσοργησίαν: hoc eſt, *modeſte iræ indulgere.* Sic & Q. Calaber lib. 4. *mentem,* ait, *placidam ineſſe hominibus ſapientibus:* ἀνδράσι μὲν, inquit, πινυτοῖσι πέλει νόος ἤπιος αἰεί. *Præclarum* enim *eſt, ſi quidquam aliud, animo in ſecundis rebus moderari poſſe*, teſte Ariano: adeoque ſecundum Curtium,

*continentia & moderatio in altiſſima quaque fortuna, bona ſunt eminentia.* Sic Dion ab amicis admonitus, ne malis inuidiſq; hominibus parceret: reſpondit, *aliorum quidem Ducum exercitationem in armis fere & bello conſiſtere: ſe autem diu in Academia meditatum eſſe, quo modo ira & inuidia, ſtudioq; omni contentionis moderetur: eam vero virtutem non in eo conſpici, ſi quis bonis & amicis ſe æquum præbeat: ſed ſi quis iniuria affectus placabilem ſe & benignum peccantibus exhibeat*, auctore Plutarcho in Dione. Quod Naſo Poeta lib. 3. Triſt. 5. hoc modo extulit:

*Quo quisque eſt maior, magis eſt placabilis ira:*
*Et faciles motus mens generoſa capit.*

Ex quo Symbolum hoc Aureliani Cæſaris natum eſt: QVO MAIOR, EO PLACABILIOR. Cum quo factum hoc illius congruit, quod Fl. Vopiſcus commemorat. Nam cum Thyana, Bithyniæ vrbe obſeſſa, forte per iracundiam dixiſſet: *ſe ne quidem canem in ea ciuitate incolumem relicturum*: eaque voce milites in ſpem prædæ erexiſſet: capta demum per proditionem ciuitate; Aurelianus Imperator vnum proditorem Heraclamonē occidi paſſus eſt: reliquis omnibus parcens ciuibus: ſumma commendatione bonitatis & clementiæ: ac deinde militibus ciuitatis direptionem flagitantibus: *Agite*, inquit, *canem negaui me relicturum: canes omnes occidite*. Sic eodem pacto *& patria proditori ſuam mercedem rependit, & militum eluſit auaritiā: ſingulari vſus, ac prope diuina clementia; cum veniam daret his, quibus venia opus fuit*, vt Senecæ verbis vtar. Qua de re Aureliani Cæſaris hæc extat epiſtola ad Mallium Chilonem ſcripta: Occidi paſſus ſum, cuius quaſi beneficio Thyanam recepi. Ego vero proditorem amare non potui, & libenter tuli, quod eum milites occiderunt. Quomodo enim mihi fidem ſeruaret is, qui patriæ non pepercit? Solum denique ex omnibus, qui oppugnabantur, campus accepit, diuitem hominem negare non poſſum, ſed cuius bona eius liberis reddidi: ne quis me, pecuniæ cauſa, hominem locupletem occidi paſſum eſſe criminaretur. Adeo verum eſt Publianum illud:

*Bonum apud virum cito moritur iracundia.*

Et alterum hoc eiuſdem:

*Bis vincit, qui ſe vincit in victoria.*

Etenim, vt Naſo canit,

*Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,*
*Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet:*
*At lupus & turpes inſtant morientibus vrſi,*

*Et quæcunq; minor nobilitate fera eſt.*

Ex quo recte Seneca:

*Nihil eſt magnum, quod ſit placidum.*

Nam, vt in Troade eſt,

*Minimum decet libere, cui multum licet.*

Et paulo poſt:

——*Quo te celſum altius*
*Superi leuarunt, mitius lapſos preme.*

Et Claudianus de bello Getico:

——*Ignoſcere pulchrum*
*Iam miſero pœnæque genus vidiſſe precantem.*

Sic Plautus in Bacchidibus.

*Leniter qui ſæuiunt, ſapiunt magis.*

Et M. Cicero pro Quinctio: Qui plus propter virtutem aut potentiam poſſunt: eo minus, quantum poſſint, debent oſtendere. Et lib. 2. de oratore: In bonis fortunæ ſumma laus, non extuliſſe ſe in poteſtate: non fuiſſe inſolentem in pecunia: non ſe prætuliſſe aliis propter abundantiam fortunæ, vt opes & pecuniæ, nõ ſuperbiæ videantur ac libidini, ſed bonitati ac moderationi facultatẽ & materiã dediſſe. Et li. 1. de Orat. Nihil eſt tam regium, tam liberale, tamq; munificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines. Et ad Q. Fratrem: Nihil eſt tam deforme, quam ad ſummum imperium naturæ acerbitatem adiungere. Cæterum de hoc ipſo Aureliano Imper. ſcriptum reliquit Zonaras, eum principatu Romanorum potitum, magnates & proceres ſuos rogaſſe, quo pacto imperandum eſſet, quorum vnus ei reſpõdit: *Si rempublicam rite adminiſtrare volueris, auro & ferro te munitum eſſe oportebit: ac ferro quidem contra hoſtes vti; tui vero obſeruantes auro remunerare.*

## SYMBOLVM LI.

## M. CLAVDII TACITI.

*SIBI BONVS*
*ALIIS MALVS.*

[Golz. *Malus, qui ſua cauſa bonus.*]

*Qui* SIBI, NON ALIIS BONVS *eſt*, MALVS *ille vocetur:*
*Nam lucri cauſa ſit malus, atq; bonus.*

*Verum*

VErum illud verbum eſt, vulgo quod dici ſolet:
*Omnes ſibi eſſe melius malle, quam alteri*,

inquit Terentius in Andria. *Proximus* enim eſt *ſibimet quiſq;*, &, vt Plautinum verbũ ſonat in Trinummo, *tunica pallio propior eſt, & genu propius tibia*. Sic & Plato lib. 5. de legib. *vnumquemque ſibi natura maxime amicum eſſe* docet. Et Ariſtoteles lib. 7. Eudemior, ἕκαστος inquit, αὐτὸς αὑτῷ μάλιστα φίλος. Quo etiam Euripideum illud pertinet:

ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ·
*Quod quiſque ſemet plus amico diliget.*

Cui affine eſt Menandri illud:

φιλεῖ ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα·
*Nemo ſeipſo diligit plus alterum:*
*Nec vero quisquam eſt tam ingenio duro, nec tam firmo pectore;*
*Quin, vbi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat bene*:

vt Plautus ait in Aſinaria: aut, vt in Adelphis Terentius, *qui animo inſtituat, vel paret, quod ſit charius, quam ipſe ſibi*. Nam &, ſecundum Curtium, *vnuſquiſque quod ipſe reperit, aut ſolum, aut optimum ducit*: &, vt Cæſar ait, *quæ volumus & credimus libenter: quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus*. Deniq; *familiare eſt hominibus omnia ſibi ignoſcere: nihil aliis remittere & inuidiam rerum non ad cauſam, ſed ad voluntatem perſonaſque dirigere*: autore Velleio Paterculo. Sed profecto *ſtultus & improbus* quodammodo *eſt hic amor*, ſecundum Flaccum: præſertim ſi cum aliorum iniuria coniunctus ſit. Ex quo recte Plato *cæcum ſui amorem, fontem* appellat *omnium malorum*: & Ariſtoteles lib. 9. Ethicorum, *homines ſui ſupra modum amantes, male audire, & quadantenus infamia laborare* docet. Quo fit, vt qui ſibi nimiũ placeant, multis diſpliceant, quod Narciſſo dixiſſe nymphas ab eo faſtiditas, Suidas memorat hoc verſu:

πολλοί σε τοι μισοῦσιν, ἂν σαυτὸν φιλῇς.
*Multi oderint te, ſi temet ipſe diligas.*

Cum quo congruit alter ille Senarius:

λίαν φιλῶν ἑαυτὸν, οὐχ ἕξεις φίλον·
*Nemo erit amicus, ipſe ſi te ames nimis.*

Quod vel maxime *neceſſarium eſſe videtur in amicitia, vt alter nihilo ſeſe plus, quam alterum diligat, quod ſi tantillum interſit, iam amicitiæ nomen occiderit: cuius eſt ea vis, vt ſimulatque ſibi aliquid, quam alteri, maluerit, nulla ſit*, auctore M. Tullio in lib. 1. de Leg. *Quemadmodum & ſi ad fructum ſuum referatur*

*ſolum amicitia: non ad illius commoda, qui diligitur: non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam vtilitatum ſuarum: cum hominũ charitas & amicitia gratuita eſſe debeat, neque vlla ſit amicitia, niſi ipſe amicus per ſe ametur toto pectore, vt dicitur. Quid autem aliud eſt amare à quo amicitiæ nomen ductum eſt, niſi eum ipſum diligere, quem ames: nulla indigentia, nulla vtilitate quæſita?* vt præclare hoc diſputat Tullius in Lælio. Quo fit, vt qui bene alteri facit, commodi ſui aut emolumenti cauſa is male faciat. Nã verum eſt, quod Publius ait: MALVS EST VOCANDVS, QVI SVA CAVSA BONVS EST: ex quo verſu Symbolum hoc Taciti Cæſaris deſumptum fuiſſe apparet.

## SYMBOLVM LII.

## M. ANNII FLORIANI.

*INIVRIA*
*VNIVS*
*MINÆ*
*MVLTORVM.*

[Golz. *Qui vni facit iniuriam, multis minatur.*]
VNI QVI NOCET, IS MVLTIS *ſic damna* MINATVR:
*Suſpecta res iniuria eſt.*

SVſpecta eſt omnis iniuria, præſertim in principe aut tyranno. Quo fit, vt ſi is vni fecerit iniuriam, omnes ab eo hanc expectent. Quod Mimus ille Publianus indicat, quo Symboli loco vſus eſt Florianus Cæſar: MVLTIS MINATVR, QVI VNI FACIT INIVRIAM. Ac iniuſtum quidem eſſe facile eſt, cui vacat pectus metu, vt Seneca ait in Octauia. Nam, ſecundum Publium,

*Malefacere qui vult, nuſquam non cauſam inuenit.*

Et *canem vt cædas, facile inuenias baculum*, vt eſt in prouerbio. *Nullum enim ad nocendum tempus anguſtum eſt malis*, teſte Seneca in Medea. Sed mehercule ſatis dat pœnarum iniurius, etiamſi nemo vlciſcatur, qui, vt Mimus habet,

*Illo nocens ſe damnat, quo peccat, die.*

Iudice

Iudice nimirũ damnatur cõſcientia, licet nemo iudex pronuntiet. Nam ſi pœna multos fortuna, neminem certe metu liberat: vt Sen. ſcribit. Pudor certe & conſcientia, potentiſſima ſunt certiſſimaque facinoroſorum hominum flagella: à quib. ceu hoſtibus domeſticis nulla quies reliqua eſt. Sic nimirum ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt: & maxima peccantium eſt pœna peccaſſe: ſecuritatis autem magna portio, nihil inique facere, eodem Seneca auctore. Quanquam ne impunita quidem eſſe ſolet in hac vita, quæ alteri fit, iniuria aut vis, τὸ δὲ παρ δίκαν γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτὰ, ſecundum Pindarum. Neq; enim facta impia fallacium hominum cælicolis placent, vt eſt apud Catullum: & verum eſt, quod ex veteri Poeta Herodotus refert:

*Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.*
*Circumretit enim vis atq; iniuria quemque:*
*Atq; vnde exorta eſt, ad eum plerumq; reuertit.*
*Nec facile eſt placitam ac pacatam degere vitam,*
*Qui violat factis communia fœdera pacis.*
*Ac licet is fallat diuum genus, humanumque,*
*Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet:*

vt eſt apud Lucretium lib. 5. Sic nocens habet aliquando latendi fortunam, ſed non fiduciam, teſte Seneca.

## SYMBOLVM LIII.
## M. AVRELII PROBI.

### PRO STIPE LABOR.

[Golz. *Annonam gratuitam miles comedere non debet.*]
*Sponte fugit, quicunque molam fugit, ille farinam:*
PRO STIPE *ſit* MERCES *militis ipſe* LABOR.

M. Aurelium Probum Imperatorem vere probum, & totius Senatus populique Romani, adeoque omnium militũ iudicio probatum fuiſſe memorat Fl. Vopiſcus. Is in laboribus fuit aſſiduus, & in his aſſidue militem exercuit ſuum, quẽ otioſum eſſe, nedum peccare, aut iniurioſe aliquid facere, minime paſſus eſt. Siquidem multa opera manu perfecit militari: ſubinde inculcans illud: ANNONAM GRATVITAM MILITEM

Com-

COMEDERE NON DEBERE. Nam qui fugit laborem, is fugit ſtipendium, quo ſe laboris fuga quodammodo facit indignũ: ὁ γὰρ φεύγων μύλον, ἄλφιτα φεύγει, id eſt, *Molam fugiens, fugit farinam.* Quod Paulus Apoſtolus quoque monet, *Qui*, inquit, *non laborat, non manducet:* Turpe vero eſt hominem, præſertim iuuenem laborare nolle, ſecundum Euripidem in Creſſis.

Αἰσχρὸν τὸ μοχθεῖν μὴ θέλειν νεανίαν.

Nam vt Ariſtophanes ait in Pluto:

Προβατίου βίον λέγεις
Εἰ μὴ φανεῖται διατριβή τις τοῦ βίου:

id eſt, *Pecudis vitam dixeris, non hominis, ſi nulla ſit vitæ exercitatio.* Sed &, vt Menander apud Auſonium loquitur:

*Sanus piger febriente multo eſt nequior:*
*Potat duplum, dapeſque duplices vorat.*

Quem idcirco Alexis infenſiſſimum vitæ malum nominat cum ait:

Ὅστις μὲν ὄλεται ἐσθίων
Ὅσημέραι ἀεὶ καὶ ποιεῖν τῶν σιτίων
Ἐπάξιον μηδὲν, παραινοστεῖν δὲ χολήν
Ἀργίαν τοῦ ζῆν πολεμιώτατον κακόν.

Quo accedit illud, quod, ſecundum Menandrum:

Ἀνάπαυσίς ἐστι τῶν κακῶν ἀπραξία,
hoc eſt,
*Quies malorum eſt otium.*

Nam verum eſt M. Catonis illud oraculum, quod eſt apud Columellam: *Nihil agendo, homines male agere diſcũt:* Quippe *quorum animi otio & copia laſciuiũt*, auctore Liuio: qui alias etiam *luxuria & otio omnem tolli diſciplinam militarem* affirmat, *quæ ſine vſu & labore non paratur*, vt Annibal ait apud Stob. Sic & Vegetius *exercitum labore proficere, otio conſeneſcere* ait. Et C. Cæſar *militum conſiliis otium maxime contrarium eſſe* dicit: vtpote *rem diſciplinæ inimiciſſimam*, teſte Velleio. Et Cyrus apud Xenophontem, *exercitum, ſi officio fungi velit, nunquam vacare debere* dicit, *aut hoſtibus nocendo, aut ſibi commodando:* Ὡς χαλεπὸν μὲν καὶ ἕνα ἄνθρωπον ἀργὸν τρέφεσθαι: πολὺ δὲ χαλεπώτερον, οἶκον ὅλον, πάντων δὲ χαλεπώτατον, στρατιὰν ἀρχὴν τρέφειν. *Difficile eſt, vnum hominem alere otioſum: multo etiam difficilius domum: longe autem difficillimum, vniuerſum exercitum.* Quomodo & Antoninus Pius Imp. dicebat, *nihil eſſe ſordidius, imo crudelius, quam ſi Rempublicam ij arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent*, teſte Capitolino. Sic Plautus in Rudente:

*Nimis*

*Nimis*, inquit, *homo*
*Nihili eſt, qui piger eſt: nimiuque id genus odi ego male: vigilare*
*Decet hominem, qui vult ſua tempori conficere officia:*
*Non expectare illum oportet, dum herus ſe ad ſuum ſuſcitet officium.*
*Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro & cum malo quieſcunt.*

Sic igitur *in otio ſemper cauendum eſt otium*, vt Bernardus monet, *quod* teſte Baſilio, *maleficii principium eſt, & nouerca omnium virtutum: quodq; omnem docet malitiam*, vt Chryſoſtomus ait: qui & *deſidiam* alias *fomitem malitiæ* vocat. Nam &, ſecundum Auguſtinum, *otium puluinar Sathanæ eſt. Præſtat* igitur, vt idem Bernardus monet, *ſapientiam ſcribere in tempore otii: ſiquidem ſapientiæ otia, negotia ſunt: & quo otioſior ſapientia, eo exercitatior eſt in ſuo genere.*

---

## SYMBOLVM LIV.

## M. AVRELII CARI.

---

### BONVS DVX BONVS COMES.

---

[Golz. *Bonus dux, bonum reddit comitem.*]
*Si* DVX *ipſe* BONVS, BONVS *eſt* COMES: *ipſaque virtus*
*Principis immenſum ſic quoq; calcar habet.*

PLutarchus in vita Lycurgi facit mentionem huius Symboli: ἡ πειθαρχία μάθημα μέν ἐστιν ἄρχοντος, ἐμποιεῖ γὰρ ὁ καλῶς ἄγων τὸ καλῶς ἕπεσθαι: id eſt, *Populus vt dicto ſit audiens, hoc diſcit à principe: ſiquidē* DVX BONVS BONVM REDDIT COMITEM. Quod Silius hoc modo expreſſit:

*Hortandi genus acer habet præcedere ductor.*

Perinde vt Xenophon docet in Pædia Cyri. *Principem ſubditis anteire debere, non luxu & otio, ſed prouidentia atque induſtria:* τὸν ἄρχοντα, inquit, χρὴ οὐ τῷ ῥᾳδιουργεῖν διαφέρειν τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ τῷ προνοεῖν καὶ φιλοπονεῖν: *Ratio* enim *& conſilium ſunt propria Ducis artes*, auctore Tacito: Sumptum autem hoc eſſe videtur à more viatorum: qui viæ plerunque ducem bene præeuntem, bene ſequūtur: vel potius à militia, in qua fere, qualis eſt dux, talis miles eſt & exercitus. Quod & Claud. indicat his verſib.

*Scilicet in vulgus manant exempla regentum:*
*Vtq; ducum lituos ſic mores caſtra ſequuntur.*

Nam & *non facile poteſt exercitum is continere Imperator, qui ſe ipſum non continet*, vt ait Cicero pro lege Manilia. Et, ſecundũ Plautum in Amphitryone;

*Vbi ſummus Imperator non adeſt ad exercitum,*
*Citius, quod non facto opus eſt, fit, quam quod facto eſt opus.*

Etenim, ſecundum Euripidem:

προβάτων μὲν οὐδὲν ὄφελος, ἂν ποιμὴν ἀπῇ,

id eſt, *nullus ouium vſus eſt, vbi paſtor abeſt*: & vt Q. Curtius ſcribit, *militaris ſine duce turba, corpus eſt ſine ſpiritu*: vel, vt Epaminondas dixit, *magna beſtia ſine capite.* Quinimo, ſecundũ Mimographum: *Ducis in conſilio poſita eſt virtus militum: Qui* quidem (vt Claudianus monet Honorium) *tum promptius ibunt, Si dux ſit ſocius.* Quandoquidem, ſecundum Lucanum: *magnos tolerare labores, ſumma ducis virtus cogit*: quippe *quorum animi accenduntur viſo in acie Imperatore*, vt Liuius ſcribit, *cuius ſegne imperium milites aſpernantur*, eodem auctore. Et, ſecundum Silium, *Agmina fuſo ſternuntur duce. Quem* idcirco nõ *in fronte ſolum, ſed in tergo, oculos habere conuenit*: vt recte monet Plutarchus in Apophthegmatis: à quo alias & Sertorii dictum ſimile refertur: *Imperatoris eſſe, à tergo magis, quam à fronte proſpicere: ita vt in pugna alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes ſpe promiſſiſque accendat*, ſecundum Tacitum *ſemper reſpiciendo ad ſummam belli, atque omni induſtria præſentib. malis occurrendo:* quod ſani & prudentis Imperatoris eſſe Liuius teſtatur. Quod recte intellexit Chabrias ille, qui *formidabiliorem eſſe* dixit *ceruorum exercitum, duce leone; quam leonum exercitũ, ceruo duce.* Vnde Alexander Magnus, Perſarum multitudine nunciata, per contemptum: εἷς μάγειρος, inquit, πολλὰ πρόβατα οὐ δειμαίνει: hoc eſt, *Vnus coquus multas* non metuit oues. Sed & hoc verum eſt, non ſolum de Republica vniuerſa, in qua magiſtratus bonus bonos reddit ſubditos, ſed & de omnibus aliis officiis, in quibus is, qui præfectus eſt negotio, inprimis operam dare debet, vt recte ſuo ipſe fungatur officio, antequã ab aliis officium exigat. Nam verum eſt Claudiani illud:

*Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

*Qualis* enim *rex, talis grex: qualis herus, talis ſeruus*; vt in veteri eſt prouerbio. Mores enim ciuitatis ex principis morib. effinguntur: &, vt ait Plato, *quæ apud eos, qui dominantur, ſtudia vigent, eadem reliqui ciues amplectuntur & colunt.* Sic Cicero in

Officiis

Officiis *ſtudioſe pleroſque ciues facta principum imitari* monet. Et in li. 3. de Legibus: *Non tantum*, inquit, *mali eſt, peccare principes, quanquam eſt magnum per ſe ipſum malum, quantũ illud, quod permulti etiam imitatores principum exiſtunt. Neque enim ſolum vitia concipiunt ipſi principes, ſed ea plerunque infundunt in ciuitatem. Neque obſunt, quod ſolum ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt: pluſque exemplo quam peccato, nocent. Pauci enim, atque admodum pauci, honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere poſſunt.* Quo etiam pertinet Oreſtis illa vox ad Pyladem apud Euripidem in Oreſte:

> δεινοὶ οἱ πολλοὶ, κακούργους ὅταν ἔχωσι προστάτας:
> ἀλλ' ὅταν χρηστοὺς λάβωσι χρηστὰ βουλεύουσιν ἀεί.

Recte itaque Gregorius Magnus in Moralibus: *Duces*, inquit, *impij ſunt, qui verbo & exemplo ductum præbent erroris atque vitiorum.*

## SYMBOLVM LV.

## M. AVRELII NVMERIANI.

*ESTO*
*QVOD*
*AVDIS.*

[Golz. *Quod videri vis, eſto.*]
*Sic recte viuis, ſi* CVRAS ESSE QVOD AVDIS:
*Virtus, virtutis non placet vmbra mihi.*

SOcrates ille Philoſophorum Deus (vt M. Cicero vult) hanc viam ad gloriam eſſe dixit proximam & quaſi compendiariam: *Si quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet.* Quam ſententiam paulo aliter Xenophon enunciat: οὐκ ἔστιν, inquit, καλλίων ὁδὸς ἐπ' εὐδοξίαν: ἢ δι' αὖ τις ἀγαθός τε γένοιτο, ϗ μὴ δοκεῖν βούλοιτο Et Iſocrates in Paræneſi ad Demonicum: οὕτως ἂν μάλιστα εὐδοκιμοίης: εἰ ταῦτα φαίνοιο μὴ πράττειν, ἅπερ ἂν πράττουσι τοῖς ἄλλοις ἐπιτιμῴας: *Tum demum maxime laudaberis, ſi ea nõ feceris ipſe, quæ facta ab aliis reprehendas.* Qualem deſcribit Amphiaraum ſuum Æſchylus: ὃς οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει, id eſt, *qui bonus eſſe, quam videri mauult.* Nam, vt vetus Poeta dixit; *Plurimum, qui ſis, non qui habearis, intereſt.*

Vnde

Vnde Horatius

*Tu recte viuis*, Si Cvras esse Qvod Avdis:

Ex quo Symbolum hoc mutuatum eſſe puto Cæſarem Numerianum: Quo monere voluit, virtuti operám dandam eſſe ei, qui ſtabilem gloriam conſequi velit: quæ, *ſi vera eſt & ſolida gloria, radices agit, atq; etiam propagatur: cum ficta omnia celeriter tanquam floſculi decidant, nec ſimulatum quicquam poſſit eſſe diuturnum*, teſte M. Tullio Cicerone in Officiis. Cæterum non ſolum id agendum eſſe idem monet Cicero, *vt ſimus ij, qui haberi velimus: ſed etiam vt facile, quales ſimus, tales eſſe videamur.* Nam, & hac ipſa expedita & compendiaria via peruenire ad gloriam Socrates dicere ſolebat, *qui id agerent, vt quales videri vellent, tales etiam eſſent.* Qua quidem prædicatione aperte is monebat, vt *homines ipſam potius virtutem, quam vmbram eius, conſectarentur*, vt ſcribit Val. Maximus. Id vero hoc Symbolo exprimi poſſe videtur: Qvod Sis, Esse Velis. Quod quidem nulla alia ratione melius perficitur, quam virtute & ſapientia, quæ omnis commendationis fundamentum eſt. Quo maiore ſtudio omnibus cauendum eſt: maxime autem iis, qui in Repub tanquam in clariſſima luce, verſantur: quorum nullum obſcurum eſſe poteſt dictum aut factum: vt mature diſcãt (quod Perſius monet) *Occipiti cæco poſticæ occurrere ſannæ*: ne quid aut inepte loquantur, aut perperam agant, quod in libera ciuitate liberæ etiam linguæ eſſe ſoleant: nec infamia caueri poſſit, niſi & prudenter dicendo, & honeſte viuendo. Sed & nota eſt Martialis illa ſententia:

Qvod Sis Esse Velis, Nihilqve Malis.

Monens nimirum illud, animum ſua ſorte cõtentum eſſe optimum atque beatiſſimum. Sic Horatius lib. 1. Epiſt. 2.

*Quod ſatis eſt, cui contingit; nihil amplius optet.*

Et Accius in Perſidis:

*Satis eſt, quem cuique tribuit fortuna ordinem.*

Et Cæcilius in Plotio:

*Viuas, vt poſſis: quando non quis, vt velis.*

Quo etiam Senecæ illud pertinet in Oedipo:

*Certiſſima eſt regnare cupienti via:*
*Laudare modica.*

Nec alienum eſt ab his Epigramma hoc noſtrum in Eteſiis:

*Fœlix ille, quod eſt, ſi quis vult eſſe, nec optat*
*Amplius: ille ſui viuit vbiq; potens.*

SYM-

## SYMBOLVM LVI.
# M. AVRELII CARINI.

### *CEDENDVM MVLTITVDINI.*

[Golz. *Populo cede, ne pare.*]
*Si turbare tibi velis quietem*
*Turbam conſule: turba turbulenta eſt.*
*Inturbata ſit vt quies, ſtudeto*
*Turba* CEDERE MVLTITVDINIQVE.

T*Vrba turbulenta eſt*, inquit M. Terentius Varro apud Gellium Noct. Artic. lib. 13. Quippe quæ per ſe corpus eſt ſine pectore: cuius ſpiritus & cor vitale rex eſt: ſine quo plane excors eſt: adeoque *bellua multorum capitum*, vt Flaccus loquitur: &, vt Euripides in Iphigenia, τὸ πολὺ δεινὸν κακὸν, id eſt, *multitudo magnum malum*, præſertim ſi aut cum malitia, aut imperitia aliquid agat: qua imperante fieri non poteſt, quin malitia exoriatur, teſte Herodoto. Quod idem confirmat Euripides in Hecuba:

Δεινὸν τὸ πλῆθος, σὺν δόλῳ τε δύσμαχον:
*Res turba turbulenta, inuicta cum dolo.*

Et Herodotus:

Ὄχλος σὺν ἀμαθίᾳ μέγιστον κακόν:
*Turba imperita nullum maius eſt malum.*

Nam, vt Pindarus ait, τυφλὸν ἔχει ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος, id eſt, *cœcam habet mentem, mortalium pars maxima*. Et, vt Cicero ſcribit pro Planco, *nō conſilium eſt in vulgo: non ratio, non diſcrimen, non diligentia*; Quo fit, vt nihil eo ſit incertius aut turbulentius: quippe quod non delectu aliquo aut ſapientia ducitur ad iudicandum, ſed impetu nonnunquam, & quadam ēt temeritate, vt non tam laudanda, quam ferenda ea ſemper duxerint homines ſapientes, quæ populus feciſſet. Sic Menander:

Ἰσχυρὸν ὄχλος ἐστὶν, οὐκ ἔχει δὲ νοῦν:
*Robuſta res eſt turba, mente ſed caret.*

Et Phocylides:

Λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος:

*Ne populo fidas: populus mutatur in horas.*

Et Seneca in lib. de vita beata: *Argumentum*, inquit, *peſſimi turba eſt.* Et alibi. *Vulgus veritatis peſſimus interpres*: Sic & Liuius Dec. 2. li. 10. *Nihil tam incertum, nec tam inæſtimabile eſt, quam animi multitudinis.* Cum quo conſentit Q. Curtii illud libr. 12. *Nullum*, inquit *profundum mare, nullum vaſtum fretum & procelloſum tantos ciet fluctus: quantos multitudo motus habet, ſi noua & breui duratura libertate luxuriat.* Nam & ſæpenumero populus ad furorem vſq; accenſus ignem ipſum vincere ſolet, vt ille loquitur: vt qui ſæpe magis voluntatem, quam rationem, ducem ſequitur: *poteſtque aliquis facilius vrbem humilem, ſi rebus aduerſis laboret, erigere, cum eam neceſſitas cogat, ſapientis conſilio obtemperare, quam populo ſecundis rebus elato ac ferocienti frænum iniicere: quo eius petulantiam atque temeritatem compeſcat*, teſte Plutarcho. Sic verum eſt Senecæ illud:

*Male imperatur, cum regit vulgus duces.*

Et Megabyzi hoc apud Herodotum in Thalia: ὁμίλου ἀχρηΐου οὐδὲν ἀξυνετώτερον, οὐδὲ ὑβριστικώτερον: hoc eſt *vulgo inutili nihil eſt imprudentius aut iniurioſius.* Et paulo poſt: Τῷ ὁμίλῳ οὐ γινώσκειν ἔνι: πῶς γὰρ ἂν γινώσκοι, ὃς οὔτ' ἐδιδάχθη, οὔτε οἶδε καλὸν οὐδέν, οὐδ' οἰκήϊον, ὠθέει δ' ἐμπεσὼν τὰ πράγματα ἄνευ νόου, χειμάῤῥῳ ποταμῷ ἴκελος. *Natura ineſt vulgo, vt nihil intelligat. Quomodo enim intelligat, quod nec didicit, nec per ſe nouit honeſtum: ac ne domeſticũ quidem: quodque ad res agendas ſine conſilio præceps ruit, fluminis inſtar torrentis.*

## *SYMBOLVM LVII.*

## C. VALERII DIOCLETIANI.

*NIHIL*
*DIFFICILIVS,*
*QVAM BENE*
*IMPERARE*

[Golz. *Non eſt turpe homini, qui ſummum bonum in animo poſuerit, honeſtam profiteri paupertatem.*]



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0132-3

*Cum vox libera nulla veritatis,*
*Aut vis ſit fidei: profectò,* NIL *eſt*
ÆQVE DIFFICILE, AC BENE IMPERARE.
*O munus graue principum bonorum!*

QVo ſplendidior eſt & diuinior Reipublicæ adminiſtratio: eo ſolet eſſe laborioſior atque difficilior. Nam *regnum vt ſummum eſt & maximum omnium bonorum humanorum: ita ſummam & maximam poſtulat ſapientiam*, ſecundum Iſocratem: adeoque *regnum* eſt, vt Græcus ille vir ſapiens ſcribit θεομίμητον πρᾶγμα καὶ δυσφύλακτον ὑπ' ἀνθρωπίνης ψυχῆς. Sic igitur *imperio maximo maxima ineſt cura*, vt Saluſtius ait: & *magna fortuna magna eſt ſeruitus*, teſte Seneca Quomodo & M Aurelius *Imperium magnam* vocare *moleſtiam* ſolitus eſt. *Cumq; omnibus animantib.* teſte Xenophonte, *facile homo imperet, ſolis hominibus, vt & ſibi, difficulter imperat*. Quo fit, vt nulla ſit ars maior aut difficilior, quam recte hominibus imperare. Sic enim Xenophon ait: ἀνθρώπῳ πεφυκότι πάντων τῶν ἄλλων ζώων ἐστὶ ῥᾶον, ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν. Cuius ſane difficultatis hæc cauſa non eſt minima: quod qui peccant, pœnæ ſeueritatem ferre nolunt, quam præſcribit iuſtitia, & publica exigit trãquillitas. Sic fit, vt cum plures ſint mali, quam boni: longe ſit difficilimum, vt Iſocrates loquitur, κεχαρισμένως ἄρχειν, id eſt, *ſimul & recte imperare, & populo placere.* Sic Diogenes in Corintho captus: cum ſub haſta vendendus eſſet, rogante præcone, quam artem calleret, reſpondit: *hominibus imperare*, riſit præco, & ad eum conuerſus: *Magnam*, inquit, *artẽ vendis, ſi quis dominũ ſibi velit emere.* Idem ſenſit Diocletianus Imperator, qui NIHIL TAM DIFFICILE ESSE dixit, QVAM BENE IMPERARE, etiam bono cautoq; Imperatori. Neque ſolum hoc ita ſenſit & dixit, ſed facto ipſo & opere demonſtrauit, qui primus imperium cum Maximiano collega ſponte & communicauit, & depoſuit, quod admirabili cum eo concordia geſſerat annos totos viginti; quo depoſito annos adhuc decem ſuperſtes, & iterum ad imperium ſollicitatus, à priuata vita abduci non potuit. Nimirum *hoc eſt regnum, nolle regnare cum poſſis*, ſecũdum Senecam: *vt longe maius ſit regnũ faſtidire, quam accipere*, vt Q. Curtius ſcribit li. 4. Quẽadmodum & Philoſophus negat *eſſe ſapientis, dominatum appetere:* & id cogitaſſe Auguſtum Cæſarem ſcribunt, ſed vetitum proloqui ab amicis & familiaribus. Sed præſtat adſcribere huc locum ex Fl. Vopiſco, qui in Aureliano ſic ſcribit: *Quæritur*, inquit, *quæ res malos principes faciat? Primum nimia licentia:*

*deinde rerum copia: præterea amici improbi: ſatellites deteſtabiles: eunuchi auari: aulici ſtulti aut certe improbi: & quod negari non poteſt, rerum publicarum ignorantia. Sed Diocletianum principem ferunt iam priuatum dixiſſe:* NIHIL ESSE DIFFICILLIVS, QVAM BENE IMPERARE. *Colligunt ſe quatuor vel quinque, atque vnum conſilium ad decipiendum imperatorem capiunt, hi dicunt, quid probandum ſit: Imperator, qui domi clauſus eſt, vera non nouit: cogitur hoc tantum ſcire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportet, amouet à Republica, quos retinere debet. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Hæc Diocletiani verba ſunt, ex quibus conſtat, nihil eſſe difficilius bono Principe: vt non ſine cauſa ſcurra quidam illius temporis dixerit: *in vno annulo omnes bonos principes poſſe perſcribi atque depingi:* eodem Vopiſco auctore.

## SYMBOLVM LIIX.
## M. AVRELII VALERII MAXIMIANI.

*MELIVS MORI*
*QVAM SIBI*
*VIVERE.*

[Golz. *Satius eſt mori, quam priuatum viuere.*]
*Qui viuit ſibi ſolus, homo nequit eſſe beatus.*
MALO MORI: *nam ſic* VIVERE NOLO MIHI.

*Nec ſibi, nec patriæ, nec amicis commodus eſſe*
*Qui ſtudet, huic viuo mortua vita placet.*

*Sic homo viue tibi, reliquis vt viuere poſſis.*
*Tanquam homini, tanquam ſic bene viuis homo.*

MEmorabilis eſt vox illa Epicuri: *λαθὲ βιώσας*, quæ monet, ita viuendum eſſe homini, vt nemo eum vixiſſe ſentiat. Quo alluſit Poeta Ouidius, cum ait: BENE QVI LATVIT, BENE VIXIT. Et Horatius:

*Nec vixit male, qui natus morienſque fefellit.*

Satius nimirum eſſe cēſens, in otio viuere domi, quam publice in negotio; propterea quod is demum bene viuat, qui ſibi viuit,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-584654-p0134-4

viuit, & quidem ſine inuidia, vt & ſine gloria. Ex quo alterum illud Naſonis præceptum eſt:

*Viue ſine inuidia, molleſque inglorius annos*
*Exige.* ———

Et Horatij hoc in Epiſtolis:

*Fuge magna: licet ſub paupere tecto*
*Reges, & regum vita præcurrere amicos.*

Cuius generis eſt Senecæ quoque illud in Hercule furente:

*Alium multis gloria terris*
*Tradat, & omnes fama per vrbes*
*Garrula laudet, cœloq; parem*
*Tollat & aſtris: alius curſu*
*Sublimis eat: me mea tellus*
*Lare ſecreto tutoq; terat.*
*Venit ad pigros cana ſenectus,*
*Humilique loco, ſed certa ſedet*
*Sordida paruæ fortuna domus:*
*Alte virtus animoſa cadit.*

Et eiuſdem hoc in Thyeſte:

*Stet quicunque volet potens*
*Aulæ culmine lubrico:*
*Me dulcis ſaturet quies:*
*Obſcuro poſitus loco*
*Leni perfruar otio.*
*Nullis nota Quiritibus*
*Ætas per tacitum fluat.*
*Sic cum tranſierint mei*
*Nullo cum ſtrepitu dies,*
*Plebeius moriar ſenex.*

Sic Diocletianus Imperator maximis rebus in imperio geſtis, tanquam blandis fortunæ obſequiis ſatiatus: nõ tam Reipub. negligentia, ac laboris fuga, aut deſidiæ cupiditate aliqua ductus, quam inconſtantia fortunæ & difficultate rei, & contẽptu honoris: vltro ſe abdicauit imperio, & huius ſui iudicii Maximianum, conſortem imperij, vna fecit participem: eumque licet reluctantem aliquo modo, & inuitum obſequi voluntati ſuæ coegit, vt imperium, quod ſecum ceperat, ac ſecum admirabili quadam concordia geſſerat, ſecum item eadem animi æquitate deponeret. Itaque Diocletianus Salonæ in patria: Maximianus in Lucania deinceps vitam in otio

priuatam egit: liber vterque & vacuus à curis, & negotiis publicis. Ac Diocletianus quidem multoties per decenniũ illud, quo priuatus vixit, ad imperium repetendum ſollicitatus, cõſtanter iſtud repudiauit, affirmans, tunc demum illuxiſſe diem ſibi, & habuiſſe vitæ principium, quod magnis moleſtiis eſſet liberatus, vt ſibi tandem viuere aliquando liceat. Siquidem is demum ſibi vixiſſe teſtari poſſit qui priuatus, ſine cura Reipublicæ, otio ſtudioſo & rei ruſticæ fœliciſſime indulſerit. Itaq; ſe hac quaſi peſte liberatum, nolle amplius venena imbibere, ſatis ſe pro Republica elaboraſſe, ſat s aliis principibus ſi rogati prouidiſſe. & iam tempus eſſe, vt ſibi viuat; & vixiſſe ſe nõ poſſe teſtari, niſi vbi in patria ſua olera conſeuerit. Neque ſane turpe eſſe homini, qui ſummũ bonum in animo poſuerit, honeſtam profiteri paupertatem exemplo C. Fabricii & aliorum, quæ omnia ſic commemorat Pomponius Lætus in hiſtoria ſua Romana. Maximianus vero facti ſui non ita multo poſt pœnitens, flagrans adhuc cupiditate imperij, primum quidem ad vrbem ſe contulit Maxentio filio ſimulans adiumento ſe fore in Republica adminiſtranda, ſed periclitatus de vita, & fere oppreſſus ſeditione militari ob ſuſpicionem affectati regni, alio ſe contulit, & ad Conſtantinum generum profectus eſt in Galliam, cui cum inſidias clam ſibi factas ſuſpectus eſſet, à militibus Maſſiliæ captus & miſere ſtrangulatus eſt, ſub nde ante hac in vita proteſtatus; MORI SATIVS ESSE, QVAM SIBI VIVERE. Recte ille quidem hoc, ſed fortaſſis cupide nimis & arroganter. Nam cum *homo*, ſecundum Ariſtotelem, *animal ſit natura πολιτικὸν & ſociabile*, omnino operam is dare debet, vt adiuuet ac tueatur, quantum in ſe eſt, ciuilem hanc ſocietatem hominum: & in eam conferat aliquid ſuo labore & ſtudio, quo melius & commodius illa habeat. Quod qui non facit ſed ſibi viuit ſolum, non Reipublicæ, & in otio ac voluptate vitam brutorum inſtar ſilentio tranſigit: non magis ornat ſtationem ſuam, in qua à Deo collocatus eſt, quam fuci aluearia & apum ſocietatem.

*Quantum etenim diſtant à morte ſilentia vitæ,*

vt Hannibal apud Silium loquitur. Et, vt Horatius;

*Paulum ſepultæ diſtat inertiæ*
*Celata virtus.*

Itaque recte Menander:

τοῦτ' ἐστι τὸ ζῆν, οὐχ ἑαυτῷ ζῆν μόνον:
*Hoc viuere eſt, ſoli ſibi non viuere.*

Nam

Nam (vt ad Architam ſcribit Plato) *non ſibi ſoli natum ſe homo meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, vt perexigua pars illi relinquatur.* Et M. Cicero in Officiis: *Non ſolum nobis nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici.* Itaque *inter homines, non inter arbores, homini viuendum eſt,* vt idem monet Plato: vt non ſolum nobis vtiles eſſe velimus: ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque Reipublicæ. Sic boni viri eſt munus Reipubl quodcunque fuerit commiſſum, libenter admittere: & pro virili hoc curare, & in eo adminiſtrando nihil temere deſperare. *Non* enim *tam decet Rempublicam geſſiſſe, quã gerere*: vt Simonides ait apud Plutarchum. Sic Plato in Epiſtolis monet, *patriæ ad Reipublicæ officium aliquod ſuſcipiendum vocanti, omnino parendum eſſe præſertim cum ſimul accidit, vt aditus paucis hominibus relinquatur.* Cæterum Epicurei illius dicti reprehenſionem pulchram videre licet apud Plutarchum in libello, de occulte viuendo.

## *SYMBOLVM LIX.*
## FL. VALERII CONSTANTII.

*VIRTVS DVM PATITVR, VINCIT.*

[Golz. *Virtus exercetur, non perit.*]
VIRTVS DVM PATITVR, VINCIT, *victrixque triumphat:*
*Creſcit in aduerſis, neſcia ſola mori.*

PVlchre Chryſoſtomus: VIRTVS, DVM PATITVR, VINCIT, & T. Liuius Dec. 3. lib. 2. *Pertinax virtus omnia vincit.* Et paulo poſt: *A veritate laborare nimis ius ſæpe aiunt: extingui nunquam.* Sic & *veritas premitur, ſed non opprimitur: quin ipſa potius quam.* Sic & *veritas premitur, ſed non opprimitur: quin ipſa potius ſe prementes tandem opprimit.* Sic enim Cic. pro Cluentio: *Multorum,* inquit, *improbitate depreſſa veritas emergit: & innocentiæ defenſio intercluſa reſpirat.* Quod autem patitur virtus: fit hoc, non ipſius culpa virtutis, ſed vitio improbitatis humanæ, quæ ſplendorem virtutis ferre nequit. Nam *aut ingrati vniuerſis.*

*aut inuidi multi, aut inimici potentes ſuis virtutẽ præmiis ſpoliant: nec ſe illa multis oblectat ſolatiis: maximeque ſuo decore ſeipſa ſuſtentat*, vt grauiter omnino & vere dixit M. Cicero in libr. de Republ. citante D. Auguſtino. Quanquam igitur magna eſt vitæ humanæ perturbatio, *in qua Socrates*, ſecundum Lucianũ, *ſæpe in ſentinæ iacet*: & alius fortaſſis homo improbus clauum tenet, vt merito *hominem ludibrium quoddam Deorum* Philoſophus dixerit, tamen virtus non continuo ipſa infœlix aut miſera: eamque ob cauſam fugienda eſt, neque ea opibus potius & honoribus metienda, quam ſuapte vi & natura bonaq; conſcientia, qua nullum virtuti eſt maius theatrum. Optatiſſimum quidem eſt, vt Cicero ait, fortunam quam florentiſſimam perpetuo manere: Sed minime tamen illa vitæ qualitas tantum ſenſum habet, quantum, cum ex ſæuis & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna reuocatur. Pulcherrimum igitur eſt & tutiſſimum, ſecundum Liuium, in ſola virtute, ſecundum Deum ſpem poſitam habere, & ad hanc, vt Bion monet, tanquam ad aſylum confugere: quippe in qua præſidii ad viuendum ſatis eſt: neque ſolum ad viuendum, ſed & ad bene beateq; viuendum, quæque non ſolum ipſa per ſe immortalis eſt, ſed & poſſeſſores ſuos facit immortales. Præclare enim Cicero pro Seſtio: Virtus, inquit, ſe ipſa contenta & in tempeſtate ſæua quieta eſt: & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atq; hæret in patria, ſplendetque per ſe ipſa ſemper, nec alienis tanquam ſordibus obſoleſcit. Et Euripides:

ἡ ἀρετὴ κὴ θανοῦσι λάμπει,
*Virtus bonis lucet viris iam mortuis.*

Et Zenodotus.

κηρύσσεται ἀεὶ ἡ ἀρετή· κακὸς δ᾽ ἀνὴρ
σιγηλὸν ἔχε ζῶν τε, κὴ θανὼν βίον·
*Semper celebratur virtus, ſed vir malus*
*Silentio tranſit viuens, ac mortuus.*

Sic Valerius Maximus lib. 1. *Nihil eſt*, inquit, *in rebus humanis, exceptavirtute, quod mortali animo ac manu immortale quæri poſſit*. Et Fab. Quintilian. li. 3. *Virtus ad poſteros durabit, non perueniet inuidia* Sic Horatius in Odis:

*Virtus recludens immeritis mori*
*Cœlum, negata tentat iter via:*
*Cœtuſque vulgares, & vdam*
*Spernit humum, fugiente penna.*

Et

Et Seneca in Herc. Oeteo.

*Nunquam ſtygias fertur ad vmbras*
*Inclyta virtus, viuite fortes:*
*Nec Lethæos ſæua per amnes*
*Exigit auras conſumpta dies:*
*Iter ad ſuperos gloria pandet.*

---

## SYMBOLVM LX.
## C. GALERII VALERII MAXIMIANI.

---

### TVTVM SILENTII PRÆMIVM.

---

[Golz. *Sponde, noxa præſto eſt.*]
TVTVM SILENTII FIDELIS PRÆMIVM:
*Quod ſi negas, ſponde, iam noxa præſto adeſt.*

---

*Optima pars hominis lingua eſt, & peſſima; namq;*
*Immoderata nocet, ſed moderata iuuat.*

SYmbolum hoc ex Athenodoro ſumptũ eſt, qui apud Stobæum Serm. 33. ſic ait: σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας, id eſt, SILENTII TVTVM PRÆMIVM: ſeu, vt Plutarchus refert in Apophthegmatis,

ἀκίνδυνον μὲν ἐστὶ τῆς σιγῆς γέρας.
*Periculo vacat merces ſilentij.*

Quod auctor ille Auguſto Cæſari adſcribit, qui Athenodori conſilium approbans ſic ſubiecerat: ἐστὶ καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας. Id vero ad hunc modum extulit Horat. lib. 3. Od. 2.

*Eſt & fideli tuta ſilentio Merces.*

Sic & Demoſthenes: ὡς ἀσφαλὲς τὸ σιγᾶν ἐστί, hoc eſt: *Quam tutum eſt ſilere.* Et Carcinus *ſilentium* vocat *remedium multorum malorum*, cum ait:

πολλοῖς μὲν ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν
σιγή: μάλιστα δ' ἐστὶ σώφρονος τρόπου.

Cui ſimile eſt Valerii Maximi illud libr. 2. *Optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum, taciturnitas. Magnæ a. ſapientiæ eſt tempeſtiuum ſilentium, quod omni eſt ſermone præſtantius, & cum vbiq; culpa vacat: tum vero maxime in aliorum*

*conuitiis neſcio quid egregium Socraticum, aut potius Herculeum, præ ſe fert*, auctore Plutarcho. Cōtra autem tyrannicum quiddam eſt multa ſcire aut velle loqui, ſecundum Æſchylum: idemq; ſtultitiæ & impudentiæ argumentum certiſſimum, cū magno plerunque dedecore & damno coniunctum. Nam, vt idem ſcribit Æſchylus:

Γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προσγίνεται:
*Linguæ loquaci pœna ſemper proxima eſt.*

Et, vt Euripides ait in Oreſte.

Ἀκόλαστος γλῶσσα αἰσχίστη νόσος:
*Lingua eſt incontinens morbus turpiſſimus.*

Et in Bacchis:

Ἀχαλίνων στομάτων τέλος, δυστυχία:
*Infrænis oris finis infortunium.*

Sic Menander:

Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστὶν αἰτία κακῶν:
*Plerunq; lingua dat multis cauſam malis.*

Item:

Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν:
*Pleroſq; lingua funditus peſſum dedit.*

Nam ſecundum Horatium:

———*neſcit vox miſſa reuerti.*

Quo fit, vt multis ſæpe redeant verba per iugulum, quod Plinius dixit:

*Sic tacitus paſci ſi poſſet, coruus haberet*
*Plus dapis, & rixæ multo minus, inuidiæque.*
*Cum ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum:*

Eodem teſte Horatio in epiſtolis. *Perſæ certe magnam rem ſuſtineri non poſſe credunt ab eo, cui tacere graue: quod homini faciliimum voluerit eſſe natura*, auctore Curtio. Ex quo recte Xenocrates cuidam loquaci: *Audi*, inquit, *melius: os vnum à natura, aures duas accepimus. Auribus frequentius, quam lingua vtendū*, teſte Seneca. Quam enim damnoſa & periculoſa eſſe ſoleat (ne alia exempla afferam) inconſulta illa & temeraria quorundam ſpōſio ſiue fideiuſſio res ipſa loquitur. De quo oraculum illud vetus extat, aureis olim literis ab Amphyctionibus præ forib. templi Delphici inſcriptum ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη: *Sponde, noxa præſto eſt*. Quod ex Homeri Odyſſ. ſumptum eſſe apparet: δειλαί τοι δειλῶν γε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι. Cui reſpondet Epicharmi illud apud Clem. l. 5. Strom ἐγγύα, ἄτας θυγάτηρ· ἐγγύας δὲ ζημία: *Sponſio noxa, ſponſionis mulcta filia eſt*. Sic igitur ſilendo nemo peccat, loquēdo permulti:

Nam

*Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum*,

vt Simonides dixit, teſte Plutarcho, quod tamen Valerius Maximus tribuit Xenocrati. Neque ſane quicquam magis dignitatem homini, & multorum gratiam conciliat, quam ſilentiũ: cuius diſciplina, ſi peritis credimus, aliquanto difficilior eſt, quam orationis & ſermonis: iis præſertim, quibus auditus nõ per aures, vt in prouerbio eſt, ſed per linguã perterebratus eſt. Hinc & Hieronymus in quadam Epiſtola: *Diu conſidera, quid loquendum ſit: & adhuc tacens prouide, ne quid dixiſſe pœniteat.* Sapiens vt loquatur, multa prius cõſiderat, quid, aut cui, quo loco vel tempore dicat. Atque hoc eſt, quod Pythagoras auditores ſuos monebat, vt ἐχεμυθίας illius ſuæ ſacris imprimis initiarentur, & vſque ad quinquennium, aut, vt aliis placet, vſq; ad ſeptennium, tacendo ſuum officiũ probarent. Sic Ægyptus colebat Harpocratem cui Perſeam arborem dicauerat, quod eius frondes linguæ, fructus autem cordi eſſent quam ſimillimi. Sic Romani Angeronam, & quidem in templo Volupiæ, colebant: vt intelligas, ex ſilentio voluptatem ſequi plerunque. Hinc & Spintarus non putauit ſe cumulatius laudare poſſe Epaminondam: quam cum teſtatus eſt ſe minime vidiſſe, qui plura ſciret, & pauciora loqueretur. Ex hoc nimirum indici digito Salutaris nomen fecit antiquitas, quod ori admotus ſilentium imperet, rem apprime vtilem ac ſalutarem. Pulchre itaque Demetrius Phalereus: *Obſigna*, inquit, *verba ſilentio: ſilentium autem occaſione.* Et Niceas: *Cuſtodia muniendum eſt os: nec ſinenda eſt lingua extra dentium ſeptum & labiorum munimẽtum euagari: quib. à natura quaſi duplici vallo eſt incluſa.* Et Iſocrates ad Demonicum in Paræneſi: *Duo loquendi tempora conſtitue: alterum de rebus tibi plane cognitis: alterum de iis, quæ neceſſario ſunt dicenda. In his enim ſolis præſtat ſilentio oratio: in aliis vero tacere ſatius eſt quam loqui.* Sed & recte is ſenſit, qui dixit: duobus locis impune aliquem loqui poſſe: vel cum ſibi, vel cum veritati obſit ſilentium. Nam & ſecundum Liuium: Qui reticet vbi reſpondendum eſt, præcipue vero in publicis deliberationibus, aut ſuperbus aut obnoxius videtur: quorum alterum eſt hominis alienæ libertatis obliti: alterum ſuæ. Recte itaq; Ambroſius in Officiis: Silendi patientia & opportunitas loquendi, ſunt maxima fundamenta virtutum: de quo hoc Epigramma extat noſtrum in Eteſiis:

*Si quando tibi, ſique veritati*
*Forte obeſſe ſilentium putabis:*

Tunc

*Tunc impune loqui potes: cuiq;*
*Fas hoc eſt: alias ſilere præſtat.*

Præclare etiam Cato Romanus:

*Virtutem primam eſſe puta, compeſcere linguam:*
*Proximus ille Deo, qui ſcit ratione tacere.*

## SYMBOLVM LXI.
## C. GALERII VALERII MAXIMINI.

*MARCET*
*SINE*
*ADVERSARIO*
*VIRTVS.*

[Golz. *Miſera fortuna, quæ caret inimico.*]
*Felicitatis comes eſt arrogantia:*
*Sed arrogantiæ comes fœlicitas:*
MARCET SINE HOSTE VIRTVS*: inde naſcitur*
*Ex copia inopia, ex otio negotium.*

QVemadmodum *virtus*, ſecundum Euripidem, per labores incedit: ita per otia vitium. Nam vt in prouerbio eſt, *Otia dant vitia*: vel vt Ambroſ. ait: *Otium puluinar Satanæ: Semper* enim, vt Lucan. canit: *variam dant otia mentem*: quæ *omnem docent malitiam*, teſte Chryſoſt. Quomodo & Euripid. in Hippol. *otium* vocat *iucundum malum*, vt recte Menander dixerit:

Ὡς πολλὰ θνητοῖς ἡ σχολὴ ποιεῖ κακά:
*Quam multa fert mala otium mortalibus.*

Maxime vero Reipublicæ peſtis & calamitas eſt turpe otiũ. Nam, vt Horatius ait:

*Otium reges prius & beatas*
*Perdidit vrbes.*

Nam ſi in ſolio ſegnities & inertia ſedeat, vt dici veriſſime ſolet, etiam leones rege ceruo vincũtur. Sed otii quidem ignaui cauſa plerumque eſt fælicitas, cuius comes eſt arrogantia: arrogantiæ ſtultitia: ſtultitiæ denique rurſus infælicitas. Sic enim Liu. l. 3. Dec. 3. Secundæ res ſegnitiem inducunt, & negligentiam creant. Et Saluſtius: Res ſecundæ ſapientum animos fatigant. Item, Secundæ res inſolentiam pariunt, eæque mire ſunt vitiis obtemptui. Tale eſt Senecæ hoc Symbolum: *Marcet*

*cet ſine aduerſario virtus.* Fit enim vt ex copia ferocia, ex ferocia iniuria: denique ex iniuria conſequatur inopia: & vt apud Suidam eſt, πράγματα ἐξ ἀπραξίας, id eſt, *ex otio negotium.* Itaque nulla maiori clade populum Deus affligere poteſt, quam ſi principem ei præficiat ſtolidū & imperitum, & ignauum. Neq; enim dici poteſt, quam multa hinc oriantur incommoda. Nā *quia totus ab aliorum arbitrio ille pendet, neq; per ſe quidquam gerit: naſcuntur factiones: diuiditur populus: diuiditur Senatus & regni proceres: inde bellum naſcitur, atque ex bello rerum penuria: quam deinde excipiunt morbi, & varij generis ærumnæ, aliaque incommoda quamplurima,* teſte Cominæo. Sic Romanorum fortuna tunc mutari cæpit quum excisa Carthagine, Perſeoque capto, hoſtes non habere, & in otio viuere, atque inſoleſcere cæperunt. Quod & Auguſtin. confirmat, cum ait: *Otio perit Roma, deleta Carthagine.* Et T. Liu. *Nuper diuitiæ auaritiam & abūdantes voluptates, deſiderium per luxum, atque libidinem pereundi perdendiq; omnia inuexere.* Et Saluſt. in coniur. Catil. *vbi labore atq; iuſtitia Reſp. Rom. creuit, reges magni bello domiti, nationes feræ, & populi ingentes vi ſubacti, Carthago, æmula imperij Romani, à ſtirpe interiit: cuncta maria terræq; patebant, ſæuire fortuna cœpit. Qui labores, pericula, dubias atq; aſperas res facile tolerauerant, iis otium diuitiæq; optandæ aliis, oneri, miſeriæq; fuere. Igitur cupido pecuniæ primo, deinde imperii creuit: ea quaſi materies omniū malorum fuere. Namq; auaritia fidem, probitatem, cæteraſq; bonas artes ſubuertit: Pro his ſuperbiam, crudelitatē, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit: Aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere: amicitias, inimicitiaſq; non ex re, ſed ex commodo æſtimare: magiſq; vultum, quam ingenium bonum habere. Hæc primo paulatim creſcere, interdum vindicari. Poſt vbi contagio quaſi peſtilentia inuaſit: ciuitas eſt immutata: imperium ex iuſtiſſimo atq; optimo, crudele, intolerandumq; factum eſt* Hæc ille. Sic & Scip. Naſica quibuſdam aſſeuerantib. res Romanas iam in tuto eſſe: extinctis Carthaginenſib. & Græcis in ſeruitutem redactis: *Imo vero,* inquit, *nunc demum ſummo in periculo ſumus, quando nulli amplius ſuperſunt, quos vel metuamus, vel reuereamur.* Et App. Claud. dicere ſolitus eſt, *Populo Rom. multo melius committi negotium, quā otium.* Sentiens nimirum, multitudinem bellis excitari ad virtutem: at in pace defluere ad voluptatem & luxum: ex quo naſcitur otium, & rerum publicarum exitium. Sane ciuitates illæ optimis legibus inſtitutæ exiſtimantur, quæ bellis finitimis

infeſtan-

infeſtantur. Friget n. neſcio quomodo omnis generoſa actio, quæ citra contentionem propoſita. Sic verum eſt, ꝙ ſcripſit Demoſthenes in Olynth. τὸ παρὰ τὴν ἀξίαν εὖ πράττειν: πολλάκις ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται, quod quaſi interpretatus Mimus ille Publianus: *Fortuna*, inquit, *quem nimium fouet, ſtultum facit*, Neq; vero ſtultum duntaxat facit, ſed & inſolentem & iniuſtum, vt res ipſa loquitur. Nam, vt Chryſoſt. dixit, *Proſperitas nouerca eſt virtutis*. Et vt Liuius, *Raro bona fortuna, bonaq́; mens ſimul datur homini*. Nam, ſecundum Val. Maximum, *Fœlicitatis & moderationis diuiduum eſt contubernium*. Recte quoque Apollodorus:

*Fortuna magna non caret formidine:*
*Nec ſplendor eminens vacat periculo:*
*Et quicquid altum eſt, haud tutum diu manet:*
*Vt quod ruat vel inuidia vel tempore.*

Quo fit, vt teſte Plutarcho, *perpaucis contingat fœlices eſſe, & ſapere. Nihil enim tam ſuperbum eſt & tam intractabile, quam homo, quem fœlicitatis corrumpit opinio*, eodē Plutarcho auctore: vnde & à Curtio *ſuperba fœlicitas eſſe* dicitur. Nam difficile eſt in rebus ſecundis ſui non obliuiſci: adeoq; vt Herodotus ait, *Lōge eſt difficilius, ſecundam fortunam bene ferre, quā aduerſam*. Quādoquidem, vt Poeta canit:

*Luxuriant animi rebus plerunque ſecundis:*
*Nec facile eſt, æqua commoda mente pati.*

Et Seneca: *Res inquieta fœlicitas eſt*: Nam *inter obſequia fortunæ non ſatis cauta eſt mortalitas*, vt Q. Curt ſcribit: &, vt Cornificius ad Herenniū: *Difficile eſt, virtutes eum reuereri, qui ſecūda ſemper ſit fortuna vſus. Multo ēt difficilius, temperare fœlicitati, qua te nō putes ſemper vſurum*, auctore Tac li 2. Ceterū *vera fœlicitas eſt, fœlicitate dignū videri*: vt C Plin. Iunior ſcribit. Quippe ſecūdū Plat. *Nemo fœlix, niſi ſapiens*: & ſecundū Ariſt. *Perfecta fœlicitas, vſus eſt virtutis. Neque aliud quidquam eſt fœlicitas, niſi honeſtarū rerum proſperitas: aut fortuna adiutrix conſiliorum bonorū: quib. qui non vtitur, fœlix nullo modo eſſe poteſt*; teſte Ammiano Marcello. *Quo* igitur *quis fœlicior eſt, aut fortunatior, eo magis & Dei, & ſui meminiſſe debet*, vt præclare docet Xenoph. apud Plutar. de tranquillitate animi. Quod ita recte faciet, *ſi temporibus ſecundis caſus aduerſos reformidet*, quod ſane cogitare, ſapientis eſt: vt monet auctor Herennian. li 4. Sic enim *qui fœlicitati ſuæ imponit frenum, melius illam regit*, vt teſtis eſt C. Plinius. *Quemadmodum* igitur *magna virtutis eſt cum fœlicitate luctari: ita ma-*

*gnæ fœlicitatis eſt, à fœlicitate non vinci*: vt nõ minus vere quam eleganter dixit Aurel. Auguſtinus.

## SYMBOLVM LXII.

## FL. VALERII SEVERI.

*SEMEN*
*ECCLESIÆ*
*SANGVIS*
*PIORVM.*

[Golz. *Quanto magis reſiſtitur, tanto magis addiſcitur: Chriſtianorum ſanguis, Chriſtianorum ſemen.*]
*Quo* SANGVINIS *plus* CHRISTIANI *funditur:*
*Hoc* SEMINIS *plus* CHRISTIANI *germinat.*

VEtus Oraculum eſt Sybillinum:

ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστί.
*Mergitur, at nunquam tamen hic ſubmergitur vter.*

Quod recte ad Chriſtianam refertur Eccleſiam, cuius propriũ *per ipſas lucet ærumnas decus.*

Nam *duris vt ilex* (Licet enim mihi Flacci vti verbis) *tonſa bipennibus,*

*Per damna, per cædes, ab ipſo*
*Ducit opes animumq; ferro.*

Quo fit, vt magnitudo eius ſemper ſit admirabilior in aduerſis rebus, quam ſecundis. Pulchre igitur Tertullianus: *Plures efficimur, quoties ab his metimur. Quo enim plus ſanguinis funditur, eo vberior in agro Domini meſſis conſpicitur.* Sic verum eſt, quod Poeta Chriſtianus canit:

*Sanguine fundata eſt Eccleſia: Sanguine cœpit:*
*Sanguine ſuccreuit: ſanguine finis erit.*

Hinc Seuerus imperator ex ſanguine Chriſtianorum ſubinde nouam animaduertens pullulantem propaginem, eamq; maiorem indies, & auctiorem. SEMEN, inquit, ECCLESIÆ, SANGVIS PIORVM. Sed & Lactantij hac de re verba ſubiicere operæ pretium eſſe puto, qui ſub eodem vixit Cæſare: *Non opus eſt,* inquit, *vi & iniuria: quia religio cogi non poteſt: verbis potius, quã verberibus res agenda. Quid ergo ſæuiunt? vt ſtultitiam ſuam, dum minuere volũt, augeant: Longe diuerſa ſunt, carnificina, & pietas: nec poteſt aut veritas cum vi, aut iuſtitia cum crudelitate coniũgi.* Item: *Defendenda Religio eſt, non occidendo, ſed moriendo, non ſæuitia,*

